Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Tarnow

Johannis Tarnovii S.S. Theologiae in Academia Rostochiensi Professoris In Prophetam Malachiam Commentarius : in quo textus analysi perspicua illustratur ex fonte hebraeo explicatur, locis S.S. paralllois confirmatur, a pravis expositionibus vindicatur, Usus vero in Locis Communibus ex ipsa scriptura natis & probatis indicatur

Rostochi[i]: Rostochi[i]: Hallervordius: Pedanus, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729967158

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729967158/phys_0001
DFG

Pr. 77 p. 7nd
Pr. 384 p. 7nd
100 p. 7nd.
Pr. 259 p.
Pr. 477 p. 7nd
Pr. 152 p. 7nd.
Pr. 279 p. 7nd

49. C. 4.

I. d. 1031-7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729967158/phys_0002
DFG

D. T. O. M. A.

JOHANNIS TARNOVII

S. S. Theologiæ in Academiâ Rostochiensi Professoris

In Prophetam

MALACHIAM

COMMENTARIUS:

in quo textus

analysi perspicuâ illustratur
ex fonte hebræo explicatur,
locis S. S. αὐτηλλήλοις confirmatur,
à pravis expositionibus vindicatur,
Usus verò in LOCIS COMMUNIBUS ex
ipsâ scripturâ natis & probatis indicatur.

Exod. 32, & 34.

הִנֵּה מַלְאָכִי יְלֵךְ לְפָנֶיךָ׃

ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, *Acad. Typog. Prostat apud Joh. Hallervordium bibliopolam Rostochiensem.*

ANNO cIↃ IↃ CXXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729967158/phys_0005
DFG

Regi Regum, Domino
Dominorum

JEHOVÆ
SACRUM.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729967158/phys_0006
DFG

Esaiæ 33, v. 7.
מַלְאֲכֵי שָׁלוֹם מַר יִבְכָּיוּן׃

IN MALACHIAM
PROLEGOMENA.

PRophetarum minorum (quos ita vocant) venerandum senatum claudit inter eos tempore ultimus, & Malachias, non tantùm, quia vitia, quæ post restaurationem templi, quam urgebat Haggæus & Zacharias in populo ex captivitate reducto, publicè grassabantur, prophetica autoritate liberrimè reprehendit, verùm etiam, tum quia ut proximè ad Christum tanquam justitiæ solem, mox V. T. nocte exactâ orituram, accessit, ita quoque de ejus præcursore & adventu verbis quam maximè dilucidis vaticinatus est, & ut N. T. in horum exhibitione cœpit, ita ipse V. T. libros Canonicos illis vaticinijs concluſit: tum quoniam post ipsum diu populus erat futurus sine Prophetia, (Confer Psal. 74, 9. Ezech. 7, 26. 1. Macc. 9, 27.) ipse postremus ad primam Israelem revocat, legemq; Mosis ac totum V. T. dum novum incipiat, tenenda, nec ab ijs ob variarum sectarum ingruentium depravationes recedendum esse gravissimè monet c. 3, 22. & seqq. Quemadmodum Johannes Apocalypsin suam, imò tota biblia similiter concludit Apoc. 22. 18. 19. Quæ omnia quando diligenter æstimamus, facilè in eam descendemus sententiam, fuisse hunc malachiam sub Nehmia sene, quum & sacerdotes suum

Malachias ultimus V T prophetarum.

Ratio 1.

2.

3.

quando vixerit

munus negligenter peragerent, populus eis debita alimenta negaret, & aliàs magna esset confusio in statu œconomico, &, quæ tum in usu erant, reprehendisse inita conjugia cum gentibus, polygamiam, divortiorumq; perfidam licentiam. Conferantur ad hanc rem Esd. c. 10. Nehem. 10. & 13. Mal. 1. & 2. Sed expedito jam uno hoc προλεγομένων membro (quantum quidem ex scripturâ licet colligere *(quando prophetaverit* Malachias, reliqua pleraq; quæ in cœterorum prophetarum procœmijs vidimus, pausis explicanda veniunt, antiquam ad textum ipsum exponendum accedimus, nempe illa sex: *Quis: Quid: Quibus: Quâ: occasione: Quo fine, & deniq; quotuplicia* vaticinatus sit.

Προλεγόμενα, 6.

I. Quis. 1. sententia,

De primo variant Interpretes quam maximè. Origenes ipsum angelum Dei fuisse existimat, qui corpore humano ad tempus assumpto locutus sit cum Israelitis, ideo quod nomen hoc innuat. Verum minus rectè, ut Cyrillus & Hieronymus ostendunt. Quidam putant hunc Malachiam esse Zachariam; sed nec isti probabilem saltem orationem afferre poterunt, cum nulla causa sit, cur non hic itidem, ut in suâ Prophetia nomine suo appelletur proprio. Hebræi tam veteres, quàm recentes, quibus subscribit Hieronymus ex patribus, & ex commentatoribus novis Ribera, Esdram ipsum esse tradunt, qui ob officium divinum nominis hujus honorem acceperit: Sed nec id firmiter probant illi, nec hujus argumenta evincunt, quod demonstrare esset in proclivi, si esset operæ precium ejus audire hanc confidentiam. Verùm jam longè rectius.

2.

3.

Nos aliò mentes, aliò divisimus aures:

4. Vera.

Credimus, dum aliud firmiter argumentis asseritur, esse hunc peculiarem quendam prophetam, cujus *Malachias* fuerit

fuerit nomen proprium, non tantùm quia est perpetua hæc scripturæ consuetudo, in principio Prophetiæ ponere nomina prophetarum propria, verùm etiam, quia expressè prophetis annumeratur Marc. 1, 2. quali titulo Esdra non legitur insignitus, qui cognomen סֹפֵר & כֹּהֵן Esdr. 7, 5. 12. &c. hebraicè, vel Chaldaicè כָּהֲנָא סָפַר דָּתָא habuit, & nuspiam נָבִיא vel Propheta fuisse legitur. Quisquis tandem sit, liber ejus est authenticus, quia Christus illum in N. T. allegat Matth. 11. 10. Marc. 1, 2. & angelus ad hanc Prophetiam respicit Luc. 1, 16. 17. Sonat autem, si hebræum nomen מַלְאָכִי interpreteris, *Angelum seu legatum meum.* & de his plus satis: audiamus porrò.

Esdras non dicitur propheta.

Malachiæ liber est authenticus.

II. *Quid* Propheta verit hic Malachias? Primò in genere omnium ingratitudinem erga Deum benefactorem suum perstringit: Deinde verò in specie sacerdotes polluti cultus divini arguit, populumq; multorum peccatorum grandium, utpote connubiorum cum in fidelibus, polygamiæ, divortiorum temerariorum, blasphemiæ in Deum & præfractæ contumaciæ, reum peragit, ac pœnas propterea impendentes indicat. Porrò ne omnino animum abijciant, in quibus spes frugi reliqua, promissiones Evangelicas de N. T. Christo ipso cum suo præcursore Johanne Baptista adijcit, populumq; ita ad seriam pœnitentiam & constantiam in cultu divino sedulò hortatur, ut comminationes gravissimas improbis eventuras crebrò interserat.

II. Summa
1.
2.
3.

III. *Quibus* prædicaverit ex præcedentibus facilem colligi potest, nempe Judæis ex captivitate Babylonica reducibus, quibus tamen multi ex Israelis regno erat immixti, sicut dictum est in προλεγομένοις præmissis explicationi Zachariæ

III. Quibus,

chariæ membro quarto, unde communi nomine dicuntur Israel, c. 1, v. 1.

IV. Quâ occasione,

IV. *Quâ occasione* verô his Prophetaverit, ex libro Esdræ ac Nehemiæ, ubi historia horum hominum magna ex parte annotatur, constare potest. Reducti enim ex captivitate ad parvum temporis spacium quidem Deum ex animo colebant, templum, ab Haggæo & Zacharia excitati, atq; à Dario rege adjuti exædificabant, cultum Leviticum rectè peragebant, Deumq; oblatis victimis ac decimis ritè venerabantur: Verùm paulò post in pristinam impietatem relapsi, nec Deum nec ejus cultum magni faciebant, illum hypocriticè colentes, hunc sub dolè administrantes, dum pro legitimis ac probis hostijs pollutas ac malas offerebant, cum gentibus conjugia in lege vetita, aut non nisi certis conditionibus permissa crebrô inibant, ac pro libitu suas conjuges dimittebant. Quibus omnibus Deus permotus hunc reformatorem misit, qui tam flagitiosum populi statum emendaret.

V. Quo fine,

V. Hoc fine, ut ejus satis acri concione ad pœnitentiam agendam excitati salventur, aut, si eam planè agere nolint: minas ac pœnas futuras denunciatas audiant, & reddantur ἀναπολόγητοι.

VI. Quotuplicia prophetaverit

I. Divisio.

II.

III.

VI. Generalis autem hujus libri divisio ab alijs ita traditur. Sunt qui ipsam materiam saltem spectant neglecto ordine, & hi (cum *Polano*) præter inscriptionem, dicunt quatuor genera documentorum hic contineri, I. Expostulationes, II. Comminationes. III. prædictiones. IV. hortationes. Alij partes constituunt duas, ἐπιγραφὴν c. 1. v. 1. καὶ προφητείαν in seqq. Sunt etiam, quibus ita libet dividere in partes duas, ut prior sit c. 1. & 2. populi ac sacerdotum reprehensio

hensio. Posterior c. 3. de reformatione templi & introductione N. T. prædictio. Nos sine cujus quam præjudicio hanc damus ἀνάλυσιν. Partes libri sunt tres; Inscriptio: Prophetiæ enaratio: Et conclusio.

IV. Ἀνάλυσις, Partes libri tres. I. Inscriptio.

Inscriptio c. 1, v. de quo, à quo, ad quem, per quem sequentia sint revelata, demonstrat. Propheriæ enarratio constat duobus membris, Exordio & reprehensionum cumulo. Exordium dociles & artentos facit Judæos, dum declarat insignem Dei erga ipsos favorem, in prima stirpe, Jacobo nimirum, cœptum, in quem jus primo genituræ mirabiliter transtulit, & cui terram fluentem lacte ac melle dedit v. 2. & in posteris hactenus continuatum, (quod reductio ex captivitate satis probat) ac deinceps continuandum v. 5. quod ex Esavi fratris, ejusq; posterorum oppositione ac miseria amplificatur. Ille enim cum suis terram horridam ac dissertam saltem obtinuit v. 3. nec ullo modo hi in suam regionem redire, suas facultates recuperare, aut urbes reædificare poterant. v. 4. Reprehensiones vero adversus Judæorum ingratorum vitia plurima diriguntur I. est adversus contemtum & prophanationem cultus divini, maximè ad sacerdotes, quos ejus oportebat esse vindices, directa v. 6, & seqq. II. Est tum adversus conjugia cum infidelibus inita (unde illa prior impietas in Deum oriri solet) v. 10. c. 2. tum adversus temeraria divortia v. 13. III. Est adversus blasphemias, quasi Deus non esset justus judex, quæ exponuntur v. 17. & ad illas respondetur c. 3. versibus sex primis. IV. adversus detentiones rerum Deo debitarum v. 7. & seqq. V. adversus contumaciam & præfractam eorum malitiam, planè corrigi nesciam, dum pietati nulla præmia, impietati nulla restare supplicia confidenter effutiunt v. 13. Conclu-

II. Prophetiæ enarratio, ubi Exordium, & reprehensiones 1. 2. 3. 4. 5.

III. Conclusio.

sio

sio hortatur ad legem Mosis observandam in veteri v. 22. & præcursorem Christi in Novi Testamenti initio exspectandum, v. 23. 24.

CAPUT PRIMUM.

Argumentum.

Summa Cap. I. Post commemorationem, seu veriùs exprobrationem immemorum beneficiorum à Deo Judæis præstitorum, quæq; miseria & infelicitate posteritatis Esavi opposita amplificantur, instituitur gravissima redargutio, inprimis ad sacerdotes instituta, quod homines omni timore Dei vacui sacrificia inepta offerrent, Deiq; cultum hoc modo valdè profanarent, unde futurum prædicit, ut ipsi tandem cum suis sacrificijs abijciantur, alijq; in locum eorum substituantur, à quibus in toto orbe rectè celebretur Dominus.

Ανάλυσις popularis. Partes hujus capitis facit *Dn. Wigandus* sex: In I. sunt προλεγόμενα v. 1. In II. beneficiorum Dei commemoratio v. 2. In III. populi & sacerdotum ingratitudo v. 6. In IV. ad pœnitentiam exhortatio v. 9. In V. prophetia de abolitione cultuum Mosaicorum, & inchoatione N. T. v. 11. In VI. peccatorum accusatio v. 12. & seqq. Alij præter inscriptionem dicunt partes esse duas. In priori vitia & sacrificia tum usitata propheta vituperat. In posteriori N. T. sacrificia vera ac spiritualia imperat. Verum magis se mihi probat illorum sententia, qui dicunt partes hujus capitis esse quatuor, quarum I. est libri inscriptio v. 1. II. Benevolentiæ Dei erga Israelitas declaratio v. 2. III. Israelitarum in Deum inobedientiæ exaggeratio v. 6. IV. pœnarum explicatio v. 10. Inscriptio more solito enarrat, quid, unde, quò, ac qua,

Prolixior. Partes quatuor.

I Inscriptio.

quâ seu prophetiæ hujus materiam de qua, causam efficientem principalem, objectum ad quod dirigitur, & causam instrumentalem indicat v. 1. Benevolentiæ Dei declaratio velut Exordij loco præponitur, ut hinc per oppositionem amplificetur Israelitarum ingratitudo. Declaratur in quo primùm hæc benevolentia cœperit, nempe Jacobo, ad quem Deus, cùm Esau ex ijsdem cum eo parentibus natus, tanta dona contemneret Hebr. 12, 16. 17. mirabiliter jus primogenituræ, & cum eo benedictionem primogenito debitam transtulit Gen. 25. & per eam jus terræ sanctæ donavit hoc est, terræ fertilissimæ, ac ut scriptura loquitur, lacte ac melle fluentis v. 2. Deinde ex oppositâ terræ Esavo datæ sterilitate amplificatur v. 3. Et tandem ex immutabilitate decreti hujus divini, quo sit hoc odium in Esavitas v. 4. & hunc favorem in Israelitas continuaturus, demonstratur. Porrò explicatâ jam Dei benevolentiâ ex contrario subjicitur populi in obedientia, quæ potissimum in cultus divini contemtu ac profanatione cernitur, ejusq; vidices quia oportebat esse sacerdotes, in hos graviùs invehitur. Illam vero primùm explicat per gradationem, quod non tantum cultum Dei contemnant v. 6. sed etiam polluant, imò pro nihilo habeant v. 7. & 8. Deinde amplificat per duplicem comparationem, alteram ex statu Oeconomico, à patre & Domino v. 6; Alteram ex statu politico à duce aliquo desumtam v. 8. Hic enim si non acceptum habet munus inutile, multò minus id Deo gratum est futurum v. 9. Denicq; à beneficentiâ jam ante ipsis declaratâ, quasi gratis colant Deum, præoccupat in principio v. 10. Pœna hujus ingratitudinis etiam dupliciter exponitur primò simpliciter in fine v. 10. Deinde per comparationem receptionis in gratiam

II. Benevolentia Dei declaratio.

III. Israelitarum inobedientia exaggeratio

2.

2.

3.

IV. Pœnarũ explicatio.

1.

2.

tiam aliarum gentium Deo accepta offerentium sacrificia v. 11. Et abjectionis Judæorum Dei cultum negligentissimè administrantium v. 12, & 13. Quibus tamen maledictio ob id eventura subnectitur v. 14. Pleraq; idcirco, quæ in hoc capite habentur, huic syllogismo possunt includi: Qui à Deo dilecti beneficijsq; affecti Deum non colunt, meritò puniuntur. Israelitæ sunt tales v. 2, & 6. ac seq. E. v. 10.

3. *Syllogismus.*

PARS PRIMA.

Verf. 1.] Quia itaq; in hoc suo oraculo multas severas minas habet, ac pœnas atroces denunciat propheta, titulum ei facit מַשָּׂא i. e. onus, metonymicè respectu rei, cum oneris gravis secuturi sit nuncius, synecdochicè autem respectu libri, siquidem in eo præter illud etiam suaves promissones reperiuntur. De ipso autem vocabulo hebræo ejusq; ἐτυμῳ & συνωνυμίᾳ, qui plura, quæ huc afferri poterant, desiderat, adire potest illa, quæ dicta sunt in Nah. 1, 1. Hab, 1, 1. Amos 5, 1. Onus igitur capitibus ac humeris Israelitarum impendens hic exponit, quod ne fortè putent facilè à se excussum iri jugem, *verbi Jehovæ* (vide Zach. 9. 1.) id esse asseritur, Jehovæ, qui

מַשָּׂא

Jehovæ potentia.

ῥέα βριάοντα χαλέπτει
Ῥεῖά γ' ἀρίζηλον μινύδει
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει.

ut vel Poëta Ethnicus ex naturæ luce cecinit. Frustra quocirca sunt, qui hanc omnipotentis manum existimant se posse subterfugere. Quinam autem illi ad quos nomine summi Imperatoris hæc mandata referenda? Israelitæ, *ad Israelem* אֶל־יִשְׂרָאֵל non tamen omnino עַל, contra vel supra (quæ particula majorem Dei indignationem sæpè indicat,

אֶל
עַל

dicat, vide Amos 1, 1.) per Israelem vero hoc loco intelligimus omnes Jacobi posteros ex captivitate Babylonica reversos, quacunq; de tribu (vide περιλειμμάτων membrum tertium) Israelem, inquam, graviter ibi ob peccata sua afflictum, nunc tamen post liberationem nihilominus redeuntem ad eadem flagitia, ut inde humanæ cæcitatis magnitudinem, & voluntatis malitiam ac pravitatem agnoscas. Per quem denique, ac cujus operâ sint hæc revelata oracula adjicitur, *per* (hebr. ἐμφαλικώτερον, בְּיַד) *Malachiam* prophetarum in V. T. ultimum, quemadmodum supra audivimus. Conferquæ dicta sunt *Haggæi* 1, 1. *& in brevibus notis ad Exodi* 4, 13.

Israelitis reducibus hæc dicuntur.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.]

I. *Prophetia onerosa*] Semper in Ecclesia lex sonare debet cum Evangelio, etiam in N. T. quia Christus jussit prædicare suos Apostolos pœnitentiam & remissionem peccatorum apud omnes gentes Luc. 24, 47. quemadmodum & illi à legis concione incipiunt. Idipsum suadet hæc ratio â necessitate ejus desumpta, quod homo vetus semper calcaribus, novus vero duce opus habeat. Rarò igitur sunt boni, qui semper populo blandiuntur, 1 Reg. 22, 12. seqq. Jer. 28, v. 8. 9. Ezech. 13, 11. 16.

Lex est docenda.

II. Pœna peccati est onus tam grande ac grave, ut ab homine nudo portari haut queat Psal. 32, 4. quia ipsum peccatum est grave, Psal. 38, 5. Christus verò utrumq; in se sustulit, ne pij eo gravarentur. Jes. 53, 7. 8. 9. Matth. 11, 28.

Pœna peccati est onus.

III. *Verbi Jehovæ.*] Etiam hortationes severæ & minæ atroces per ministros verbi denunciatæ audiendæ sunt ut

Minæ legales audiendæ.

vox Dei Gal. 6, 6. 7. siquidem hic est, qui peccatoribus irascitur Exod. 20, 5. & ut malum caveant, per suos doctores, monet Amos 3, 7.

IV. *Ad Israelem.*] Si Israelitæ ille Dei populus peculiaris opus habuit reformatore, quis eo se carere posse in hac inperfectione credet? 2. Corinth. 4, 16.

Deus dat ministros verbi.

V. *Per Malachiam.*] Propheta hic nomine suo (quum Deus illum vocat, Legatus meus) indicat, quod Deus ille sit, qui det prophetas 2. Pet. 1, 21. & adhuc mediatè vocet verbi ministros, sicut promisit. Esa. 41, 27. Jer. 3, 10. & præstitit Eph. 4, 11. 12. Confer Joh. 16, 8. Act. 14, 23, 24. & 20, 28. 1. Cor. 3, 4. 1. Tim 4, 16. & videbis, quod etiam mediata vocatio, modò sit legitima, divina meritò habeatur.

PARS SECUNDA.

Contentio

Vers. 2.] Ut autem tantò gravius Jehova redarguat populi vitia, prius recenset sua beneficia, (qualem contentionem Amos 2, 9. & seqq. etiam observavimus) & quasi dolor justus plura addere vetet, per ἀποσιώπησιν & pauciſſimis, ita tamen ut in sequentibus, quæ semel & simul dicturus erat, particulatim exponat. *Diligo vos*, imò (quia verba affectuum non tantum in sancta lingva sæpissimè alias, sed Deo tributa semper notant effectum) vos mihi in peculium seligo, paternè curo, liberalissimè sustento, potentissimè libero, *ait Jehova.* Vos enim hominum ingratissimi illa tanta, imo pleraq; recentia benevolentiæ meæ certissima indicia velut obliti, ita respondendo quæritis ac *dicitis, in quo*, ô Deus, *nos diligis*, quâ re demonstras nos tibi peculiariter esse curæ, quo insigni indicio istum tuum insignem amorem declarasti, cum nos æquè ac aliæ gentes affligamur. Ejaverò,

Ἀποσιώπησις.

Verba affectuum.

verò obstinatè contumaces Iudæi! itanè verò p'enè excidit, quomodo Iacobum omnium vestrum parentem in primogenituræ & benedictionis de terra sancta occupanda translatione fratri ipsius Esavo, ad quem naturæ lege tanta bona pertinebant, si dignum se gessisset illâ dignitate, mirabiliter prætulerim, quemadmodum liquet ex historijs Gen. 25 & 27. capp. descriptis. *Nonne*, quod vos non latet, *Esavus* fuit *frater Jacobo & dictum Jehovæ*, atq; ita, ut non tantum ex ijsdem parentibus, verum etiam eodem tempore simul concepti & nati ambo, proinde pares, & neuter hactenus alteri præferendus, imò cum naturæ lege Esau prior erat, & propterea Iacobo in dignitate Ecclesiasticâ ac politicâ præferendus, ipseq; tantam prærogativam non curaret, & se eâ, inobedientiâ suâ erga parentes, indignum redderet, nihil quicquam hoc promerente Iacobo, ex gratia in eum hanc contuli, ita ut expropositio meo major minori cederet, in posteris præcipuè, de nominis celebritate, terræq; fertilitate. Sic autem *dilexi Jacobum* & vos in eo.

Jacob Esavo præfatus.

Vers. 3.] *Esavum verò odio habui*, eum in horum bonorũ collatione posthabui, terramq; tam fertilem non dedi ejus posteris, ut hodie etiamnum liquet, *nam dispositi montes ejus*, totam regionem Edomæorum montosam, Hobad. v. 3. 4. desolationem ac invastationem maximam, & *possessionem ejus* inhabitandam dedi *draconibus deserti*, non tantùm quando tractum infrugiferum, montibus asperum & maximam partem incultum ei olim incolendum concessi cum posteris, Genes. 36, 6. 8. 9. & 32, 3. & 33, 16. verum etiam, quando hi unâ vobiscum debellati ante aliquot annos in captivitatem abducebantur, non tanto amore eos dignatus sum, quanto vos. Vos enim in possessionem ac

Edomæa regio inculta.

Judæi ex captivitate reducti.

terram vestam me autore & curatore redijstis, quodq́ dirutum erat, reædificastis, & in vestris fœdibus fertilissimis jam tutò vivitis; Illi contra in his externis à me neglecti, in captivitate adhuc detinentur, nec inde liberabuntur obdecretum meum firmissimum, quod non mutatur Jes. 34, 5. Jer. 49. 7. seqq. v, 17. 18. Ezech. 25 12, 13. 14. propterea q́ regio eorum vastata manet, ut videtis ipsi, & probè nostis, si modo ipsam rem perpenditis & prophetias præcedentes.

Edomæi non item,

Vers. 4.] Verum age illa omnia effluxerint & vobis & Edomæis, ut sciatis me adhuc in illa esse sententia, non fore ut per Edomæos ipsorum regio recuperetur & ædificetur, repetam denuo. Quod si *dicat Edom*, i. e. ejus posteritas, superbia animi ipsius decipiente eam Hob. 3, quemadmodum pervicaces Israelitæ frustrà se jactitant, Jes. 9, 10. *depauperati sumus* quidem, omnibusq́ spoliati & exuti, *at revertemur* iterumq́ *ædificabimus vastitates* illas, de quibus versu præcedente. *sic ait Jehova* Dominus *exercituum. ipsi ædificent, at ego destruam,* experiemurq́ uter sit prævaliturus. Sed ratio facilè apparet, ex cujus partibus sit futura victoria, Dei nimirum omnipotentis, qui illa verè dixit, & ipsi Edomæi temerè hoc tentantes, *vocabuntur terminus improbitatis, & populus, cui indignatur Jehova, usq́ in seculum.*

qui non possunt recuperare amissa,

& θεομαχοῦντες vincuntur

Oculi vident.

Vers. 5.] *Hoc oculi vestri videbunt,* vos ipsi eritis spectatores & arbitri αὐτόπται (notatenim phrasis illa, quæ videtur esse pleonastica, certitudinem & perspicuitatem visionis Job. 19, 27. Psal. 35, 21. & 139, 16. Prov. 23, 33.) & cùm jam agnoscere nolitis meam benevolentiam ex vobis collato beneficio, scietis ex illis illato judicio, & *dicturi estis, magnificat se Jehova super* (מֵעַל desuper, ex ipsis cœlis super) *terminum*

minum Israelis, hunc curat, placidoq; hunc lumine respicit unum. Ita enim malim hæc explicare cum Luthero sine trajectione verborum hebræorum, Der HErr ist herrlich in den Grentzen Israel/ quam cum Junio, visuri estis in termino Israelis & dicturi, tum quod cohæreant omnia melius, tum quod מֵעַל de humana visione vix usurpari possit, præcipuè respectu totius regionis, tum denicq; quod phrasis, magnificat se Jehova, & similes in bonam partem soleant accipi de præsentia Dei gratiosa, quia se suis revelat ac gloriosum exhibet Psal. 126, 2. 3. Joel. 2, 21. Ps. 95. 3. & 96, 4. & 99 2, 3. Infra in hoc cap. v. 11. & 14. Interim non negamus, quod Deus eadem opera se suis propitium, & hostibus eorum iratum exhibere queat. Quæ autem hactenus sunt allata, cum aliquantò accuratiùs perpendimus, & scopum prophetæ, imò verba ipsa non negligimus, facile descendimus in eam sententiam, in hoc quidem loco de æternâ electione aut reprobatione non agi, utut magno conatu illud hinc exsculpere velint Calviniani, sicut etiam quidam Pontificij. Primò enim æterna electio est certarum personarum, ordinem à Deo institutum observantium in tempore, non verò integri alicujus populi aut visibilis Ecclesiæ, in quâ sunt bonis mixti multi mali (aliàs etiam finaliter improbi ac increduli ad vitam æternam essent electi, quod nemo, nisi qui cum ratione insanire velit, affirmabit, cum tota scriptura reclamet.) Hoc autem in loco agitur de dilectione & odio Dei erga integram gentem, quod probant hic illa pluralia & affixa pronomina אֲהַבְתָּנוּ, אֶתְכֶם & verba נְאֻמָה, נָשׁוּב &c. & nomina collectiva אֲחוֹכֶם הָעָם pronomina separata אַתֶּם הֵמָּה & denicq; quod bis גְּבוּל seu termini regionis fit mentio, qui non potest dari in electione æter-

Magnificat se Jehova.

De æternâ electione aut reprobatione hic non agitur.

Ratio 1. quia illa est singulorum,

hic agitur de totâ gente.

In Genesi de illa electione non agitur,

æterna: In Genesi verô, unde desumpta est hæc, ad quam alluditur, historia, expressa verba idem invincunt c. 25, 23. Jehova dixit ei, *duæ gentes* sunt in ventre tuo, & *duæ nationes* in visceribus tuis (editæ) separabuntur, quarum una natio robustior erit alterâ, & major serviet minori. Si igitur agit de tota Jacobi & Esavi posteritate, de æterna electione & reprobatione nullo modo agit: ratio, quia multi ex illa æternum periêre, Rom. 9, 6. seqq. & quidam ex hac æternum sunt salvati, cum ad regnum Dei sunt vocati, Jes. 11. 14. Amos 9, 11, 12. Mar. 3, 7. 8. quemadmodum alij alibi probavère prolixiùs. Secundò satis expressè hîc declaratur, quod dilectio in terræ fertilissimæ gratuitâ concessione, (confer Deut. 4, 37, 38.) & odium in terræ infrugiferæ attributione consistat, Verba siquidem in versu tertio adeo clara sunt, ac si solis essent scripta radijs, *Esavum odio habui*, id est, *disposui montes ejus desolationi*. Odio habui, hoc est scripturæ stylo, quæ sæpius ita verbum שָׂנֵא & μισεῖν usurpat, præterij, postposui, conferri possunt hæc loca Genes. 29, 31. Deuter, 21, 15. Prov. 13, 24 & 19, 7. Matt. 6, 24. Luc. 14, 20. cum Matt. 10, 37. Sic etiam מָאַס i. e. sprevit, usurpatur, Psalm. 78, 67. quod si dicas cum Calvinianis, esse hoc beneficium Judæis præstitum in tempore electionis æternæ τικμήριον, vel, ut Iunio loqui placet, esse documentum: cum scriptura respondeo, nostrum non esse, vel ex felicitate externa, nequidem Dei dilectionem, (tantum abest, ut æternam electionem quis inde proeet) vel ex infelicitate odium, multo minus æternam reprobationem certò demonstrare, cum Deus filios suos hîc castiget, & malos ditet, ut ad pœnitentiam suâ bonitate adducat. Vide saltem Iob. 21. Psal. 37. & 73, Ier. 12. Psal. 17, 14, & totum librum Iobi. Quid? quod fideles

probatur.

2. dilectio & odium hoc in quibus consistat.

שָׂנֵא minùs dilexit, postposuit.

מָאַס

Obj.

R. temporalis felicitas non est signum electionis.

fideles salvandi, non felices in hac vita, infideles damnandi asseruntur non infelices in hac vita, Vide Lazarum & divitem epulonem Luc. 16. Præterea contra conscientiam suam illud Calviniani asserunt, cùm non ignorent, omnibus Judæis esse terram illam datam, non verò æternam felicitatem promissam aut collatam, quod tamen necessariò sequeretur, si id electionis esset πρμήριον. Si autem est tantùm ἐκ τῶν ἐκτὸς, quid inde firmiter pro se colligent, quod tamen requiritur in re tam arduâ? Deinde si non agitur hic de odio simplici & propriè, sed tantùm καταχρηστικῶς sic dicto & comparato, multò minùs hic agetur de odio Dei planè absoluto, maximè cùm, cur hoc odium Deus in posteris Esavi continuet, causa adjecta legatur, est גְּבוּל רִשְׁעָה terminus impietatis. Rom. 9, 13. antùm negat Apostolus: Jacobum esse Esavo prælatum ob opera v. 11. quod neq; nos asserimus, ideoq; neq; illa negatio nostram hanc explicationem evertet, præcipuè, quia nec in illo capite Apostolus primariò agit de electione ad vitam æternam, vel reprobatione ad æternum exitium, & propterea neque Jacob & Esau in sua persona velut παραδείγματα ibi poterunt adduci, cum hic in sua persona nunquam illi, Genes. 33, 5. seqq. sed ejus posteri tempore Davidis ab illius posteris subjugati Israelitis servierunt 2. Sam. 8, 14. Et licet jugum hoc aliquoties tentarint excutere, tamen iterum debellati leguntur 2. Reg. 8, 20. & 14, 7. Undè patet de duorum filiorum Isaaci electione & reprobatione æternâ hic apud Prophetam & Mosen non agi, sed de dissimili utriusq; posterorum in rebus corporalibus conditione:

Non agitur hic de odio simplici.

Rom. 9, 13. hic non contradicit.

Esavi posteri servierunt posteris Jacobi.

Quomodo Paulus hæc alleget

Paulum autem ut typum ea allegare, hoc modo: Sicut Jacobo Jus primo genituræ, terræ fertilitas, & temporalis Messiæ ex eo prodituri nativitas ex gratia obtigit, ita ad cœlestis vitæ hæreditatem vocatio sine generis privilegio, aut operum merito hominibus à Deo indulgetur. Verum de his alibi prolixiùs

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.]

In spiritualibus Deus nullum odit absolutè.

I. Diligo vos] Deus est caritas 1. Johan. 4, 16. & proinde nullum hominem absolutè, hoc est, absq; infidelitate esset, odisse potest, Sap. 11, 24. & 12, 15, 16, & si diligit mundum, Johan. 3, 16. & inimicos suos, Rom, 5, 8. nullum absoluto odio reprobat. In externis autem bonis inæqualiter dispensandis liberrimè agit, cùm non æquè promiserit ea omnibus, quemadmodum spiritualia obedientibus verbo & usurpantibus media.

Homines in Deum ingrati.

II. Et dicitis, in quo nos diligis] Hoc est plerorumque in mundo ingenium, ut Dei in se benevolentiam non agnoscant, & nunquam vivant contenti præsentibus suis bonis, laudent diversa sequentes, cum tamen verè quæstus magnus sit pietas, cum animo sua sorte contento 1. Tim. 6, 6. qualis erat in Paulo Phil. 4, 11. Præcipua enim vitæ humanæ sunt aqua & panis, vestisq; & domus tegens imbecillam conditionem, Sir. 29, 25. Christiani verò meritò quotidiè cum Davide seipsos excitant ex Psal. 103, 2. Benedic anima mea Jehovæ, & ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus.

III. Di-

In bonis externis unus alteri à Deo præfertur.

III. Dilexi Iacobum, Esavum odio habui] Deus in externis ac temporalibus alium alij præfert, de quo occulto nobis, sed non injusto, Dei judicio meritò cum Apostolo exclamamus, quàm inscrutabilia sunt hæc judicia ejus, & quàm inpervestigabiles hæ viæ ejus Rom. 11, 33. Quis fuit ejus consiliarius v. 34. aliàs quod ad salutem consequendam attinet, indicavit verba sua Iacobo, statuta sua & judicia sua Israeli Psal. 147, 19. viam, ad patrem quæ ducit, novimus Iohan 14, 4. quæ est fides & benignitas vera Psal. 25, 10. & in hoc negotio consilium Dei omne nobis est revelatum Actor. 20, 27.

Ex vers. 3.

A Deo dantur.

Disposui montes ejus desolationi] Habitationes, sedes, agri, domus, non casu offeruntur, neque industria nostra acquiruntur, neque pro arbitrio hominum distribuuntur, ut falsò jactabat Nebucadnezar Dan. 4, 30. Sennacherib Ies. 36, 16. 17. & adde Iudith 2, 5. sed à Deo ipso dantur ac conservantur Psal. 127, 1. Quemadmodum exemplo Abraham, Isaaci & Iacobi potest probari, ideoq; quando aliquid prospere nobis sub manus succedit, ne sacrificemus plagis nostris, Habac. 1, 16.

Ex versu 4.]

θεομάχοι

I. Dicit Edom, de pauperati sumus, sed iterum ædificabimus] Hic videas multorum hominum insaniam, qui θεομαχεῖν non verentur Actor. 5, 39. quod scriptura aliàs vocat emphaticè, elata manu peccare, Num. 15, 30. Vide hic Nicanorem, Iulianum apostatam, &c.

Felix & infelix successus.

II. Ipsi ædificent, ego destruam]

Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Consilium si non detq; juvetq; Deus.

Sæpe est favoris divini indicium, felix in ceptis successus, & contrà iræ signum, infœlix eventus, Hag. 1, 6. Zach. 8, 12. Psal, 90, 17. Prov. 3, 33. Verum enim est utrumq; quod spes piorum non pereat Psal. 9, 19. & 31, 2. & contrà, quod improborum spes pereat, Psal. 112, 10.

Ex versu 5.

Deus est verax.

I. Oculi vestri visuri sunt] Quod Deus prædicit, certò præstat. non enim est homo, qui mentiatur, an ipse dixerit, & non faciet? an loquutus fuerit, & non præstabit illud? Numer. 23, 19. Proindè stet nobis illud in miserijs: Credo me visurum bonitatem Jehovæ in terra viventium Psal. 27, 13. 14.

Opera Dei celebranda.

II. Et vos dicturi, magnificat se Jehova] Pij ex judicijs Dei Deum sæpè celebrant, qua de re Psal. 9, 17. Exempla sunt, quando pij liberati Deo publicè egerunt gratias, Exod. 15. Jud. 5. 1. Sam. 18. 6. Est enim opera Dei revelare gloriosum. Tob. 12. 8. Prov. 25, 2.

PARS TERTIA.

Vers. 6.] Ad textum ipsum Malachiæ redimus. Cohærentia autem cum præcedentibus satis bona est, si non Calviniano more ea interpreteris de absoluto decreto, h. m. Quoniam auditis, ô Israelitæ. Esavi posteros ob suam impietatem obstinatam tandem punire, vos, ne idem vobis accidat, sedulò cavete, & â vestra improbitate desistite, quia ego vos, ut filios suos pater curat, ijsq; de necessarijs quibusq; prospicit, hactenus amavi, sicut in versibus præcedentibus declaratum est. Naturæ lex hoc dictitat, benefactoribus non esse malâ referendâ gratiam, sed eos, â quibus beneficia accepimus, esse colendos, *filius honorare solet* & meritò debet, *patrem*, â quo vitam ac nascendi primordia, reliquaq;

Israelitæ sunt Dei filij ac servi.

liquaq; ad educationem necessaria habet, imo *& servus*, qui tantùm victum & amictum à Domino accipit, honorare ac venerari solet *Dominum suum*. Quod si jam tu, ô Israel, Exod. 4, 22. Luc. 1, 54. & inprimis tribus Levi Num. 8, 16. es primogenitus meus filius, *& si ego* sum tuus pater, *ubi est honor mei?* quo me honoratis, & si ex jure redemptionis ac liberationis ex captivitate *Domini* vestri sum ego, *ubi est reverentia & cultus mei?* quo in loquendi genere & enallage numeri pro ratione V. T. pluralitatis personarum in unitate essentiæ divinæ mysterium indicat, tum quia non falso dicitur אֲדֹנִים cum aliàs sit utatissimum singulare אָדוֹן, tum quia Deus ipse in primâ personâ de se pluraliter loquitur, quod aliàs in sancta linguâ non est usitatum, & exempla, quæ in contrarium afferri solent, omnia sunt synecdochica: Et porrò hic interrogatio maximum pondus addit sermoni, q. d. adeò mihi nullum defertis honorem, ut si quis diligentissimè querat, nihil tamen inveniat, & licet vestra impudentia in respondendo ac negando sit maxima, supra v. 2. infra v. 4. hic tamen obmutescere cogimini, nec quid reponere possitis, habetis quicquam, *ait Jehova Dominus exercituum*. Et hoc dicit quidem Israelitis omnibus, *vobis* tamen inprimis, *ô sacerdotes*, infra c. 2, 1. qui reliquis pietatis exemplo prælucere, corruptiq; cultus mei esse vindices debebatis, maximè hæc exprobrat, vobis, ô *contemtores nominis mei* hæc meritò oppono, & vos negligentiæ in officio redarguo. Verum quæ vestra est pervicacia, nondum vultis videri malefeciisse, quod omnium hypocritarum est proprium, *at dicitis, qua in re contemnimus nomen tuum?* qui tibi tot sacrificia quotidiè offerimus, & alia nostri officii obimus munia.

Mysteriũ Trinitatis in V. T. adumbratum.

Interrogatio Rhetorica.

Sacerdotes inprimis reprehenduntur.

Vers. 7.] Recte vero id præstatis *afferentes super altare meum pollutum panem*, seu cibum, quomodo scriptura sæpe id omne vocat לֶחֶם ἄρτον vel panem, quod ad victum est necessarium, Matth. 6, 11. Luc. 14, 1. Unde etiam infra v. 12. אֹכֶל dicitur, (& sic isti disceptationi ansa præscinditur, quomodo mensa, in qua panes propositionis solebant poni, dicatur altare? & similibus quæstionibus, magno quidem numero ac conata hîc agitari solitis, sed parvo commodo ac profectu discentium) *ac dicitis, qua in re polluimus te?* qua in re ignominiâ te afficimus ac si esses pollutus? *in eo quod dicitis* atq; cum animis vestris existimatis, tanti non esse faciendum Jehovæ ministerium, ut magnopere sit delectissimis oblationibus laborandum, *mensam hanc Iehovæ contemtibilem esse*, huic altari & mensæ in secundo templo non adesse tantam sanctimoniam, quanta fuit in priori, cum desit ædificationis & splendoris ambitio.

לֶחֶם *notat omnem cibum.*

Pollutio mensæ Jehovæ.

Vers. 8.] Nonne enim id cogitatis pessimi, *quum offertis* contra expressam legem Levit. 22, 20. 25. 29. Deut. 15, 21. animal *cæcum* ad sacrificandum, & dicitis, *non* est *malum*, quod tamen pessimum esse novistis etiam admoniti (quomodo malim cum Luthero nostro assertivè & narrativè, wenn ihr ein blindes opffert/ so muß es nicht böse heissen/ quàm cum Iunio, nihilne est mali? Vel cum Ribera, nonne malum? Interrogativè vertere) *etiam quum offertis claudum aut ægrotum*, dicitis tamen impudentes, *non* est *malum*, in hunc usum illud animal est satis bonum, Es ist gutt genug zu opffern. Quousque vero male feriati meâ abutimini clementia? quum ne illum quidem mihi summo rerum omnium Imperatori & regi regum, supra v. 6. honorem exhibeatis, quo ducem aliquem vel tenuem præfectum dignamini. Age quis-

Offertur cæcum,

claudum, ægrotum Deo,

quisquis es de hoc ingratorum grege, experimentum cape, *offer illud* cœcum, claudum aut ægrotum *jam duci tuo, an acceptum habiturus est ille te? aut an susceperus est vultum tuum*, tibique petita benignus concedet? Nequaquam, ita novi eum, ejusque jura ac consuetudinem 1. Sam. 8, 17. *ait Iehova* Dominus *Exercituum*.

quod dux non habet acceptum

Vers. 9.] Quid igitur? Deum vestrum vos posse defraudare, & tamen cum propitium habere existimatis? Frustra estis, quæ tamen vestra est inconsulta audacia, ita pergite, & cum tales adhuc sitis, Deum conanimi placare, scilicet futurum credo, ut vobis se clementem exhibeat ob vestram hypocrisin. *Nunc ita deprecamini quæso faciem Dei fortis*, cùm non ita accedere auderetis in conspectum tenuissimi alicujus præfecti (quomodo manet in eâ, quam superiori versu cœpit, comparatione à minus ad magis ducta) *ut gratiam faciat nobis*, videre sanè, quis sit vestrarum precum effectus, dum *è manu vestra est hoc*, dum in peccatis vestris manetis, *an susceperus est* Deus fortis ullius *ex vobis vultum?* hoc modo, nempe dum ita impœnitentes vos geritis? Non est, quod hoc vobis promitatis, *ait Iehova* Dominus *exercituum*, & quidem hac oratione per prophetam declarat, quæ cum est ἀνυπόστροφος crebrisque interrogationibus, quæ conscientiæ puncturis & crebris stimulis aculeata, magnũ pondus habet ad socordes hominum animos excitandos. Et hinc pœnarum neglecti cultus divini comminatio incipit, quæ sunt I. precum rejectio hoc v. II. Ipsorum Israelitarum aversatio. III. sacrificiorum repudiatio v. 10. IV. Veri cultus à Judæis ad gentes translatio vers. 11. V. Maledictionis in contemtores immissio vers. 12.

Ironia sancta.

Interrogatio.

Pœna denunciatur

LOCI

Caput Primum.

LOCI COMMUNES

Ex versu 6.

Parentes sunt honorandi.

I. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum.*] Primum in secundâ tabulâ præceptum est de honore parentibus & omnibus majorum loco qui sunt, debito, Ephes. 6, 2. quia ab ipsis secundum Deum vitam & omnia habemus, & ipsi sunt in his terris Dei vicarij, puta viri Dei ministri, sicut expressè hoc titulo donantur magistratus Exod. 22, 9. Psal. 82, 6. Joh. 10, 34. Sic Dominus gloriam attribuit patri, ut superior sit liberis, & judicium matris firmavit in filios, Sir. 3, 2. Peccant igitur gravissimè filij, qui hoc honore parentes non afficiunt, peccant servi, qui Dominis suis non obediunt, de quo L. C. plura apud eos, qui in quartum decalogi præceptum, vel in hæc loca Pauli Eph. 6, 2. 5. 6. 7. 8. Col. 3, 20. 22. seqq. Tit. 2, 9. Commentaria ediderunt.

Deus est pater.

credentiũ & omniũ hominum.

II. *Si pater sum.*] Hic locus, quemadmodum & is qui habetur c. 2, 10. & Eph. 4, 6. Hebr. 12, 9. satis expressus, Calvinianos redarguit eos, qui dicunt, Deum non esse omnium hominum Patrem ulla ratione. Quod enim sit pater regeneratorum & electorum ratione gratiæ specialis & adoptionis, libenter largimur Matth. 6, 9. quod vero non sit omnium omninò pater, ratione Creationis, id est quod pernegamus. Nam ut amoris divini sunt gradus, ita etiam paternitatis, unus generalis, quo homines à se creatos: alter specialis, quo in Christo renatos, ac præcipuè permanentes in fide usq; ad finem vitæ complectitur.

Deus colendus.

III. *Ubi est honor mei?*] Deus, quò pater clementior Psal. 103, 13. Mal. 3, 17. & quò Dominus major, infra v. 14.

magis

magis est super omnia amandus atq; colendus Exod. 20, 3. Desinat itaq; inanibus titulis Deo obstrepere, & illum suum patrem in oratione Dominicâ, ac Dominum in symbolo appellare Matt. 7, 21. qui illum non ut patrem honorat, nec ei servit ut Domino. Respondebit enim statim ipse ex Ies. 29, 13. Appropinquat mihi hic populus ore suo, & labijs suis me honorat, cor autem eorum procul abest à me Matt. 15, 8. Proinde frustrà me ita colunt v. 9. quoniam oculi Domini spectant ad fidem, Jer. 5, 3. & Ichova spectat id, quod est in animo 1. Sam. 16, 7.

ut pater & Dominum.

IV. Ubi reverentia mei, ô sacerdotes] Quando generalis aliqua impietas Ecclesiam pervadit, in causa & culpa sunt plerumq; potissimùm verbi divini ministri, qui constituti sunt speculatores, & tamen peccatores notorios non inclamant, Ezech. 3. & 33. sunt facti vigiles, sed dormientibus illis diabolus seminat sua zizania Act. 20, 31. Hebr. 12, 17. Matth. 13, 25. ut sæpè possis illud prophetæ Ies. c. 3, 12, & 9, 16. de ductoribus Ecclesiæ usurpare, populc mi, qui te ducunt, seducunt. Hoc enim non tantùm fit malè docendo, sed etiam officij partes negligendo. Vide Ezech. 13. & 34. capp. Ier. 23. Vide filios Eli, pharisæos ac scribas.

Ministri verbi faciant officium.

V. Quidicitis, in quâ re contemnimus te] Hoc est hypocritarum ingenium, nolle videri peccasse, unde suis impijs factis semper pietatem prætexunt, quemadmodum Christus in Pharisæorum persona (quos ita sæpè vocat Matth. 6, 2. 5. & 15, 1. 7. & 22, 18. Luc. 13, 15.) illos egregiè descripsit Matth. 23, 2, 4. 5. 14. 15. 27. cui David astipulatur Psal. 5, 10. Exemplo est Saul 1. Sam. 15. & Achab Ies. 7.

Hypocritarum ingenium.

Ex versu 7]

I. Afferentes cibum pollutum] Cùm omnis cultus divini

Oblatio polluta.

divini depravatio Deo displicet, tum ille inprimis, quam de avari & fraudulenti ad res divinas vel in eleemosynas aliquid offerunt, ut ita rapinam suam expient Matth. 23, 14 23. 25, Luc. 11, 41. Ies. 1, 15.

Summa pollutio.

I. Qua in re polluimus te?] Deus sanctissimus quidem populi non potest, improbi tamen eo sunt animo, si possent ipsi maculam inferre, neque ipsi sanctissimo parcerent, sicut hodie faciunt illi, qui per omnia, quæ Deus ad salutem nostram ordinavit ex summa misericordia, exsecrantes proximo petunt malefieri, ut per Christi vulnera, Sacramenta, imo ipsam Dei dexteram, quo vix ullum inter peccata, quæ contra conscientiam sunt, graviùs aut Christiano homine, indignius.

Victima pura quid notat?

Ex versus.]

I. Quum affertis animal cœcum] Quando Deus in lege adeò severè præcipiebat, ut victima bona & sine labe offerretur, id præter alia indicabatur, quod Christus ille agnus Dei erat futurus sine omni macula, & quod Christianos puritati vitæ studere deceat, ac preces puras offerre 1. Pet. 1, 19. Heb. 7, 26. & 9, 27. Rom. 12, 1. Ephes. 5, 27, infra v. 11. Inprimis vero illud notandum quod non licuerit offerre animal cœcum, nec aure, nec pede, nec cauda carens Lev. 22, 22. non enim vult Deus aut probat cœcum, h. e. non videntem aut scientem Dei præcepta, aure carentem non acceptat, hoc est, qui illis, quæ audivit, non obedit: Pede cassum non probat, hoc est, eum, qui in pietatis viâ non progreditur: Quò etiam pertinet illud de caudæ absentia, non enim probatur Deo, qui non perseveraverit usque in finem.

Non probatur. cœca, surda, claudа, manca,

Deo summo malè.

II. Offer illud jam duci tuo] Deus omnibus hominibus longè erat anteferendus, cum sit Rex omnium summus ac primus

primus, & â quo reliqui sua regna & ducatus, imò omnes omnia acceperunt Prov.8,14. 15. Dan.2.21. Act.17,25. Verum plerumque non tantùm quispiam dux, sed quæcunq; etiam alia mala crux, modo homini arriserit, ei anteponitur, ab avaro divitiæ Eph.5,5. à luxurioso voluptas Phil.3, 19. ab ambitioso honor 2.Tim.3, 2. 4. 5.

alia anteponuntur.

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Ex versu 9.]

Deprecemini faciem Dei, dum è manu vestra hoc, an susceturus est vultum vestrum?] DEUS peccatores præfractos & hypocritas non exaudit Johan.9,31. Isa.1, 15. nam qui avertit aurem suam abaudiendâ lege, etiam oratio ejus abominatio est, Proverb.28,9. Siquidem peccata inter homines & Deum se interponunt, eumq; ab illis separant Isa.59, 2. Proinde clamores vagi sine pœnitentia qui funduntur, nil proficiunt Job.35, 8. 12. Psal.18, 42. Prov.1, 28. Vide plura in Zach.7, 13. Errant igitur Calviniani asserentes, hominem in peccatis grandioribus viventem gratiam DEI non amittere.

Peccatores Deus nõ audit.

PARS QUARTA.

Vers.10.] Vos verò sacerdotes appello, quorum culpâ ac negligentia hi potissimum mores mali invalescunt, quid meriti tandem estis hac supinâ oscitantiâ? Ego vobis de victu prospexi, præmia laboris dedi, nemo vestrum gratis mihi inservit, non dicam pontifex maximus, aut sacerdos aliquis, sed ne ipsi quidem janitores, qui templi claudunt ostia, suo insigni carent præmio, nullus est, qui non amplam sui laboris mercedem reportet, & nihilominus tam negli-

Sacerdotibus concessa præmia.

genter rem tantam agitis. *Quis* enim *inter vos est, qui* vel *claudat fores* gratis? Nemo quisquam. Imò *non illustratis altare meum gratis*, non accenditis ignem in eo sine compensatione satis munificâ, & tamen, ut ritè omnia fiant, non videtis. Quod cum ita sit, *nulla* etiam *est mihi* amplius *delectatio in vobis, ait Iehova* Dominus *exercituum & munus* oblatum per vos *acceptum non habebo è manu vestrâ*, vestrâ, inquam, hypocritarum & improborum ministrorum.

Mali non litant.

Vers. 11.] Et ne cogitetis, quis igitur Deum tum colet? Prædico, quanquam vos pessimos Sacerdotes cum vestris sacris abjecero, meo tamen cultui nihil quicquam decedet,

παρ' ἐμοιγε καὶ ἄλλοι
Οἱ κέ με τιμήσωσι.

Deus multos habet cultores.

Nam ab ortu solis usq; ad occasum ejus magnum erit nomen meum ingentibus, â quibus per totum terrarum orbem agnoscar, & magnificè celebrabor, ut non amplius Ecclesia sit exiguis Judææ finibus inclusa, sed per totum mundum diffusa, *& in omni loco suffimentum* seu θυμίαμα *afferetur nomini meo & munus purum.* Ubi per phrasin V. T. cultus N. etiam indicatur, eò quod complementum præcipuum hujus prædictionis eò pertineat, siquidem tum, ut hinc inde apud prophetas, etiam ipsum Mosen Gen. 9, 27. Deut. 32, 2. fuit prædictum, doctrina de Deo per totum mundum fuit sparsa, & ipse inde agnitus & religiosè cultus. Quomodo & ipsa verba propriè cum Dn. Franzio accipere possumus, & tamen reliquorum interpretum explicationem non rejicimus. Tempore enim prophetæ ex gentibus multi proselyti sacra eadem cum Judæis habebant communia, Deoque Ierosolymis sacrificabant, & ita incipiebat impleri hæc promissio:

Phrasi V. T. cultus N. indicatur.

missio? Verum tum demum manus ultima fuit imposita, quum jam tempore Apostolorum per omnes orbis angulos sonus doctrinæ de Messia fuit auditus, & gentes jam pro suffimento preces, proq; munere puro puram conscientiam, veram obedientiam, spontaneam eleemosynam (quippe jam exhibito corpore desinebant istæ umbræ victimarum & sacrificiorum, quorum usus fuerat in V. T. Colos. 2, 17. Hebr. 10, 1.) imo seipsos totos per Christum mundatos Deo offerebant. Quæ omnia ut tantò rectius intelligantur, conferantur primum de vocatione gentium, quæ dicta sunt loci 3, 21. Amos 9, 11. 12. Hobadi v. 17. 18. 19. Mich. 4, v. 2. Adde Matth. 21, 45. Ioh. 10, 16. Rom. 15, 9. Colos. 1, 23. Deinde, quæ de suffimentis & victimis N. T. dicta sunt Apoc. 5. 8. & 8, 3. 4. Rom. 12, 1. & 15, 16. Phil. 2, 17. & 4, 18. 1. Pet. 2, 5. Hebr. 13, 15. 16. Cum Psal. 4, 6, & 51, 19. 21. & 141, 2. Quibus omnibus probè expensis, nondum possumus adduci, ut concedamus in Bellarmini, reliquorumq; Pontificiorum sententiam, hoc loco prædici sacrificium Missæ, Bellarm. lib. 1. de Miss. cap. 10. in illo enim nullum suffimentum, nec מִנְחָה propriè & strictè aut speciatim sacrificium denotat (quod declaratur per vocem וָזֶבַח) sed in genere oblationem aut munus quodvis, tam prophanum, quam sacrum significat. Est igitur collectio vitiosa, à genere ad speciem, quæ ducitur affirmativè: מִנְחָה est oblatio. E. ea quæ in Missâ, ut de reliquis nil dicam, de quibus alij copiosiùs. Vide Chemnit. p. 2. Exam. L. 6. de Missa, argum. 8. Baldvvin. in h. l. Illud addam tantùm, de cognitione Dei & cultu inde resiliente, ac in nobis oriundo hic agi, indicio sunt ea, quæ sequuntur, *quia magnum nomen meum* erit *in gentibus*, *ait Iehova* Dominus *Exercituum*,

Gentium vocatio.

Victima N. T.

Sacrificium Missæ hîc non stabilitur.

מִנְחָה
וָזֶבַח

quia me Deum verum rectè cognoscent, totos mihi se dedent & sua omnia. Quid vero hoc ad sacrificium Missæ? De cujus patronis id quod sequitur rectè usurpes: Etenim vos profanatis illud mysterium. Sed ad rem.

Mensa Jehova contemtibilis.

Vers. 12.] Et cum propheta ad exaggerationem delictorum superiùs reprehensorum redimus. Causa, cur vos vestraq; sacra sim tandem abjecturus, hæc est: *Etenim vos profanatis illud* meum nomen, & ansam alijs contemtim de me Deo vestro loquendi præbetis, *in eo quod dicitis*, ac non solum apud animum vestrum cogitatis, verum etiam ore profertis, *mensam Iehovæ pollutam esse*, Sup. v. 7. *& proventus ejus contemtibilem esse cibum*, non esse quod multum laboretis, quæ & qualia offerantur, cum etiam maximè abjecta possint sufficere.

Suum laborem multi extollunt hypocritæ,

Vers. 13.] Hoc licet ego Deus omniscius optimè norim, & vobis per prophetas, quibus revelavi, denunciandum curem, tamen pro vestra hypocrisi vestram illam in Dei cultu datam operam extollitis *& dicitis, ecce, quantum fatigationis* in nos recipimus, quantum laboris exantlamus, & quantum tœdij devoramus, dum hæc animalia benè curatâ cute & nitida huc in humeros sublata apportamus, quantum molestiæ exhaurimus, dum de bonis sacrificijs sumus solliciti, eaque undiquaque exquirimus. Ita dicitis hypocritæ, vestramq; in Deum pietatem magnificè extollitis coram hominibus, cum vix ossibus hæreat animal quod affertis, *quum sufflare possetis illud*, ita carne tenue ac macilentum est, ut si quis exsufflaret in illud, in terram concideret, *ait Jehova* Dominus *Exercituum*, qui & vos & illud probè novit, vestramque hypocrisin odit ex animo, nec immeritò, cum non tantum macrum, sed *etiam raptum & claudum & ægro-*

qui Deo malas victimas sacrificant,

& ægrotum afferatis munus Deo oblaturi, nullumque pecus tam tetrum vel abominabile sit, quod Deo consecrare non audeatis. In vos ipsos saltem descendite, vestram excutite ipsi conscientiam, quid hæc mihi placeant. *An acceptum habebo illud è manu vestra, ait Jehova?* Nullo prorsus modo.

Vers. 14.] *Imò*, ut simul ac semel jam dicam de fraudationibus istis omnibus, *maledictus est & machinator*, Lutherus eleganter, vortheilischer/ qui sive apertè, sive occultè & astu quodam Deo vult illudere, ejusq; cultum adulterare, qualis est ille (ut exemplo rem declarem) qui *quum sit in grege ipsius masculus integer, vovet & sacrificat corruptum Domino*, maledictus est, inquam, ob contemtum tam insignem, quum meo duci ac præfecto cuilibet tenui postponit, *nam rex magnus sum* (quod nomen habeo in Psal. 47, 3.) *ait Iehova*, Dominus *Exercituum*. Et proinde non potest quis temerè in me ita illudere aut impunè, *& nomen meum est reverendum in gentibus*, quas punivi, ut sciant me jam revereri, & cum ipsæ me jam ritè colunt, multo magis debebatis vos majori honore ac reverentiâ me prosequi, qui estis meus populus ac peculium.

Maledictus, qui Deo vult illudere.

LOCI COMMUNES

Ex versu 10.)

I. Quis est, qui claudat fores gratis?] Ministris verbi licet accipere stipendia, quod pluribus probatum est Mich. 3, 2. 3. Serviunt enim *gratis* non adverbialiter, sed nominaliter.

Stipendia ministrorum verbi.

II. Nulla est mihi delectatio in vobis, & munus de manu vestra

Impiorum

munera Deo non placent.

vestra acceptum non habeo] Oportet priùs Deo placere personam, quam munus, quemadmodum Deus respexit Abelem ac ejus munus Gen. 4, 4. Saulem autem inobedientem quia spernebat, etiam ejus sacrificium contemnebat 1. Sam. 15. Vide de hoc argumento in Amos 5, 21. Mich. 6, 7. Hagg. 2, 14. Adde infra c. 2, 13. Exempla sunt Gen. 4, 5. Num. 16, 15. Ps. 50, 8. 9. seqq. Ies. 1, 11. Ier. 6, 20.

Ex versu 11.]

Evangelij universalis prædicatio,

I. Ab ortu solis usq; ad occasum ejus, magnum erit nomen meum] Religio vera in V. T. in una terra Judaica maximè floruit Ps. 76, 1. & 147, 19. Sed in N. per totum terrarum orbem est dispersa Matth. 28, 19. nec unquam ita est uni loco alligata, quin sedes mutare possit, non rectè tractata Matth. 21, 43. Amos 8, 11. 12.

& invocatio

II. In V. T. omnes quotannis adorabant Ierosolymis, verùm in N. T. in omni loco rectè possumus Deum invocare Ioh. 4, 21. 1. Tim. 2, 8. ibi inter solos Iudæos erat publicus Dei cultus, nunc inter omnes gentes.

Ex versu 12.]

Idem peccatum sæpiùs reprehendendum.

Vos profanatis illud. Quia hoc loco aliquoties Deus & propheta illius, idem flagitium, videlicet contemtum cultus divini, redarguit, docemur, sæpè de eodem peccato, si invaluit & grande sit, esse agendum. 2. Timoth. 4, 2. Nunquam enim nimis inculcatur, quod nunquam rectè observatur.

Ex versu 13.]

Hypocrisis

Ecce quantum fatigationis, quum ex sufflare possetis illud, ait Jehova] Hypocrisis latet quidem homines, Deum verò omni-

omniscium non item. Vide supra ex v. 6. L. C. 3. & 5. Confer Psal. 50, 21. 22. Rom. 2, 3. 4. 5. Sir. 1, 29.

Ex versu 14.]

I. Maledictus est machinator.] Omnes fraudes & doli Deo displicent Psal. 5, 6. 7. inprimis verò illi, quibus Deum ipsum se posse circumvenire arbitrantur, ut quando in malis vitæ emendationem promittunt, ac postea non præstant, sed plerumq; deteriores evadunt. Hi cum voverunt masculum, sacrificant corruptum, & maledictioni huic mox erunt obnoxij Sir. 19, 23. Vide de votis Num. 30. & nota admonitionem Psalmistæ: Redde excelso vota tua, Ps. 50, 14.

Fraudes.

Vota sunt solvenda.

II. Rex magnus sum, ait Iehova] Semper aliquid acturi Deum adesse cogitemus, ita non facilè peccabimus. Si enim in conspectu viri alicujus autoritatis, nil turpe moliri audemus, multominus in Dei conspectu audebimus. Sed plerorumque peccatorum causa est, quod illud non cogitemus. nam dictum defectionis ad improbum, coram ejus oculis non est pavor Dei, Psal. 36, 2.

Deum adesse cogitemus.

III. Nomen meum reverendum in gentibus.] Totus orbis terrarum plenus est gloria Dei, si modo quis in illam intendat lumina Psal. 24, 1. 8, Jes. 6, 3.

Gloria Dei.

CAPUT SECUNDUM.

Argumentum.

Quod cultus divinus adeò negligenter à plerisq; Iudæis curetur, culpam in sacerdotibus residere dicit Iehova, ijsq; propterea graviter reprehensis comminatur: contra verò ex fœdere suo cum illis inito & beneficijs huic ordini præstitis, imò etiam ex majorum seu antecessorum laudabili exem-

Summa.

plo declarat, quales eos esse deceat. Postea omnes ob connubia cum infidelibus contracta, polygamiam simultaneam divortiorum licentiam, & denique blasphemas in Deum voces redarguit.

Ἀνάλυσις popularis.

Partes igitur hujus capitis possunt constitui duæ: Prior in qua sacerdotes, velut totius populi typos, de sua officio administrando commissa negligentia usque ad v. 10. Posterior in qua reliquum populum cum ijs, de alijs notorijs vitijs, quibus laborabant, propheta nomine Dei convincit & minis ac pœnis impendentibus perterrefacit, à v. 10. usque ad finem. Si quis singula ulteriùs cupit evolvere, potest id non incommodè fieri, si juxta tria illa, quæ præcipue his judæis objiciuntur, tres capitis partes faciat ut in prima exaggeretur sacerdotum incuria: in secunda omnium in connubijs temere contrahendis ac derimendis licentia: In tertia contumeliosa in Deum exponantur ludibria.

Prolixior. Partes capitis tres,

Primæ partis, in qua sacerdotum summa incuria & supina negligentia explicatur, membra sunt tria, quorum I. est Exordium, attentionem faciens v. 1. II. Propositio, in qua & culpa, quod non obediunt voci Jehovæ, nec omnia sua ad gloriam Dei propagandam referant, & pœna declaratur in genere v. 2. In specie, videlicet egestas & contemtus v. 3. III. Amplificatio utriusque, culpæ quidem, tum per comparationem, quod norint & Dei ad se latum præceptum v. 4. ejusque in obedientes illi mandato beneficentiam v. 5. & majorum suorum laudabile exemplum v. 6. & 7. tum simpliciter v. 8. pœnæ verò, quod contemnentes divinum mandatum contemtos reddiderit v. 9. Atque ita hæc pars constat hoc Enthymemate: Vos scientes à lege recessistis, eamque contempsistis perfidè. Ergo contemti merito eritis. Cujus major

I. Sacerdotum incuria taxatur membra
1.
2.
3.

Enthymema.

major omissa habetur 1. Sam. 2. 30. honorantes me honorabo, contemtores autem mei leves fient, dictum Jehovæ.

Secunda Pars etiam est trimembris: Primò enim, postquam ad excusationem, quâ suum factum ibant palliatum Judæi, respondit v. 10. flagitium eorum, quod in se, ductis extraneis ac infidelibus uxoribus, admittant, apertè exponit, ejusq; magnitudinem ostendit v. 11. Atq; illi divinitùs imminens suplicium subjicit v. 12. Deinde cum eodem vitio aliud, quod & ipsum naturæ ac primæ conjugij institutioni repugnat, conjunctum reprehendit, videlicet simultaneam polygamiam, quâ super inductâ tali extraneâ, & priorem legitimam conjugem angant, & Dei favorem deperdant v. 13. cujus utriusq; probatio, quod & hic sit illius fœderis testis & autor, & illa fœdere vinculoq; indissolubili juncta v. 14. & proinde, qui vel ad priorem aliam assumit conjugem v. 15. vel illam sine justa causa demittit v. 16. (quod est tertium secundæ partis membrum de divortiorum licentia) perfidè agit, turpiter rupto connubij fœdere, nec pœnas impendentes cavet, ibid.

II. Licentia populi 1. in conjugiis cum extraneis initis 2. simultaneâ polygamiâ

3. divortijs temerarijs

Tertia pars continet propositionem blasphemiarum, quibus de Deo malè publicè loquebantur, & non esse tanti, ut Deum, ejusve legem servarent, cum non videant aut pios præmia, aut impios supplicia manere v. 17. Responsio verò, quæ ad hanc pertinet, in versibus prioribus capitis sequentis explicatur. Summa horum constat isto enthymemate: Vos leges conjugij violatis. Ergo meritò à Deo puniemini. Major omissa habetur prolixè declarata apud Mosen Lev 18. cap.

III. Blasphemia

Enthymema.

PARS PRIMA.

Vers. 1. Quando jam porrò propheta, ut superiori capite

pite neglectum sacrificiorum, ita in alijs officij partibus ob-
eundis socordiam sacerdotum reprehendit, id facit per apo-
strophen gravissimam. *Nunc ita ad vos, ô sacerdotes* spectat,
(Lutherus satis bene: Dis Gebott gilt euch an) *præceptum istud*,
nempe hactenus expositum de curando Dei cultu & prohi-
bendâ omni ejus profanatione, vestrum siquidem fuerat of-
ficium, sedulò monere populum, non placere Deo talia,
qualia offeruntur, munera. Ubi non sine causa quis quærat,
quæ hujus tam vehementis accusationis causa. Si quis vero
probabilis conjecturæ locus est, dicere possumus, ideo hoc
factum, quod (quemadmodum in toto hoc propheta vide-
mus ab omnibus à Deo reprehensis fieri) sacerdotes se, om-
nium minimè accusandos esse putarent, cum in ipsos culpa
negligentiæ ac sordium populi non sit referenda, quippe
qui mallent eum liberaliùs sacrificare, quod ita etiam ipsis
meliùs consuleretur. Cum autem populi tenuitas & multis
miseriis tantùm non exhausti inopia majora meliorave do-
na afferre non permittat, melius esse, ut illa, quam nulla, ac-
cipiant & offerant sacrificia. Ita illi quidem se probe excusa-
tos censebant: Deus καρδιογνώστης autem, qui videbat, quod
ipsi quidvis recipiendo (aptum an ineptum esset, nil inte-
reat) tantùm suam avaritiam irent expletum: hanc hypocri-
sin ita vehementer per prophetam exaggerat, ne se latere
existiment illi simulatores ac veteratores pessimi. Præstitis-
set enim nihil, quàm contra legem sacrificare (quid enim
Deus amat illa non ritè oblata, Ps. 50. 8. 9. 10. 11.) vel si essent
tenues ac pauperes, columbas aut turtures saltem recte Deo
sacrificarent, non autem inutiles aut macros agnos, qui vix
ossibus hærent. Hac occasione dictorum perspecta, facilior
erit in sequentibus minis exponendis decursus.

Apostrophe.

Sacerdotes moneant populum.

cur illi hîc increpentur?

qui se excusant,

sed à Deo accusantur.

Vers. 2.

Vers. 2.] Eas vero ne ex odio quodam absoluto profectas putemus, culpa pœnæ, & peccatum maledictioni præmittitur, unde æquitatem judicij divini facile est æstimare. Cùm autem omnis reliquorum peccatorum fons sit, non auscultate mandato Domini, hinc exordium ducitur (*Nisi auscultaveritis, & nisi indideritis animo*) quod phrasi hebraica ita emphatice sonat, nisi posueritis in corde, quæ nostra germanica à Luthero recte exprimitur, wen ihr nicht zu hertzen nehmen werdet/ Confer quæ dicta sunt Hagg. 1, 5. 7. & 2, 18.) seriò animum adverteritis, ut obsequium præstetis mandanti Iehovæ, *& tribuatis gloriam nomini meo*, agendo pœnitentiam, de admissis flagitijs verè dolendo, vobis ignominiam & faciei confusionem, mihi verò justitiæ ac misericordiæ laudem debere agnoscatis, Confer Jos. 7, 19. Dan. 9, 5. 6. 7. 8. nisi ita resipueritis ex animo, cum vestra facta me non lateant, & vestræ calvæ excusationes vos culpa non eximant, *ait Jehova* Dominus *Exercituum* quemadmodum in lege hinc inde inobedientibus sum comminatus, ita faciam, *& omninò immittam in vos maledictionem*, cum quâ omnis generis alia mala sunt conjuncta. Et ne putetis illam conversum iri in benedictionem, vel saltem aversum iri à vestris cervicibus, vestris cultibus divinis, prædico, fore ut *maledicam ipsis benedictionibus vestris*, quibus & vobis & alijs benè precamini. Ita enim constat sententia justitiæq; regula, ut præfractis peccatoribus suo vitio ac culpâ etiam omnino sit crimini, Psal. 109, 7. seqq. Quid vero dico, me esse maledicturum, jam *maledixi eárum* benedictionum *unicuiq;* (ita namq; partitivè esse hoc exponendum, notat affixum singulare se referens ad præcedens nomen plurale Buxt. thes. l. 2. c. 2. excep. 2. p. 312.) quia vos etiam sæpius

Culpa & pœna.

Ponere in corde.

Deus maledicit.

malorum benedictionibus.

moniti, *non inditis animo*, non ad animum revocatis aut diligenter expenditis, neq; facitis: proinde nulla etiam benedictio vestra, vel qua vos bedicitis vobis & alijs, vel quâ ego vobis benedixi, ditavi & affeci, vobis proderit, nil efficient preces publicæ aut privatæ ab hypocritis fusæ, nil juvabit agri fertilitas, pacis tranquillitas, aëris salubritas, cœli serenitas, quommodo ad posteriora hæc respiciens Lutherus in margine explicat, Ewer Gut vnd alle Haab / damit ich euch gesegnet vnd begabet habe-

etiam corporalibus.

Vers. 3.] Et non esse excludendam benedictionem corporalem & constructio superiùs explicata innuit, & sequentia verba comprobant, quæ ita habent: *Ecce ego*, ne respiciatis ad causas secundas tantùm, Deus, qui omnibus sum superior, *corrupturus sum vobis sementem*, cum non ultima vel postrema benedictio sit terræ fertilitas (cum enim verbum גָּעַר non construitur cum ב, ut hoc loco, corruptionem & excisionem denotat, non increpationem, multò minus projectionem, quomodo dupliciter peccat vulgata versio, quando hæc ita reddit, projiciam vobis brachium, i. e. humerum, aliasq; animalis in sacrificio oblati partes, quas vobis Levitis dedi de victimis, auferam, ut habetur Lev. 7 & 10. Non enim in textu est זְרוֹעַ, verum הַזְּרֹעַ) Atq; ita hactenus Deus comminatur suæ benedictionis sublationem. Nunc porro addit etiam secuturam contemtus in sacerdotes effusionem, & *spargam fimum in facies vestras*, quæ solet esse nota summæ ignominiæ, ut ita impuritatem vestrorum sacrificiorum & cultus ostendam, *fimum*, inquam, *vestrorum festorum* seu sacrificiorum, (stercus ipsum, quod vos alias in mactione pecudum abjicitis velut rem fœtidam,) & hunc adeo densum injiciam, ut nihil

גָּעַר sine ב

Error vulgatæ versionis.

Fimus festorum.

præter

præter stercus esse, totiq; in hoc abijsse videamini, *ut abripiat vos ad se*, vos operiat, ut semper sitis cum illo, & illesimus vobiscum. Lutherus, *solan euch kleben bleiben*/ semper critis contemti ac omnibus deridendi, & cum ita fimo plane estis obruti, rusticus agrum stercoraturus vos cum stercore aut fimo pala stercoraria una abripiet. Quæ explicatio ex dicentis & irati mente spectata mihi se maxime probat, inprimis cum vox חטא alibi pro sacrificijs seu victimis accipiatur, ut probatum esse alibi confidimus. Vide secundam edit. Exercitation. biblic. pag. 127. parag. 4.

חטאי, *i. e. victimæ.*

Vers. 4.] Quo jure autem, quare injuriâ tantæ ignominiæ nota vobis inuratur, deinceps audiemus, & primò pœnarum illarum æquitatem ostendemus ex fœdere vobiscum inito, ac peculiari beneficio vobis præstito, quibus vos ad gratæ mentis declarationem meritò excitari oportuit. Vos enim omnes probè cognitum ac perspectum habetis, ut alio testimonio externo nil indigeam, *nostis enim me misisse ad vos*, ô sacerdotes v. 1. præceptum istud, quod ita jam negligitur, *ut sit fœdus meum, cum* tribu *Levi*, quam peculiariter ad cultus divini administrationẽ elegi, *ait Iehova* Dominus *Exercituum*, qui pactum hoc meritò exaggerat, cum vos ad illud semper soleatis provocare. Quod autem in hoc versu vox Levi non notet unum illud individuum seu Jacobi patriarchæ filium, verum ut Israel pro omnibus Israelitis, & Juda pro omnibus Judæis, sic pro omnibus Levitis accipiatur, constat ex oratione dictorum, quando omnes inde redarguuntur, & ex eo, quod officium, quo omnes fungi debent, describat in sequentibus.

Fœdus Dei cum Levi.

i. e totâ tribu.

Vers. 5.

Vers. 5.] Hic enim instituitur digressio, in quâ tum exemplum majorum piorum sui avi Levitis proponit, tum officium illorum in genere declarat, ut ex ista oppositione, quàm graviter peccent, elucear. Nostis, inquit, *fœdus meum*, quod *cum illa* tribu Leviinij, fuisse vitæ ac pacis, quo ex mea parte omnem felicitatem hujus ac futuræ vitæ promisi, & obedientibus, seu, quam ipsi ex sua parte erant stipulati, pietatem mihi suam probantibus præstiti, quemadmodum in Pinchas videre est Num. 25, 12. seqq. (istæ enim duæ fuerunt nostri fœderis partes, promissio omnis prosperitatis, & stipulatio pietatis) nostis me non fregisse fidem, sed *dedisse ea* bona promissa, vitam ac pacem, *ipsi* propter (מִפָּנַי namq; ex membro sequenti ἀπὸ τοῦ κοινοῦ rectissime hic repetitur, & quæ dicuntur, cum sententia Pauli aurea, quæ exstat 1. Tim. 4, 8. optimè conveniunt) *reverentiam, quâ reverebatur me, cum propter nomen meum* ipsa *erat contrita*, me pariter ac nomen meum religioso timore coluit, ut Chaldæus Paraphrastes & Kimchi sententiam expressisse scribuntur, quibuscum Lutherilla paraphrasis, meinen Nahmen schewete/ satis rectè convenit. Et hanc sententiam, quod verba hæc posteriora sint ἐξηγητικὰ præcedentium, deq; eadem re, nempe pietate & præmio Levitarum priorum agant magis probo, quam quando Junius illa accipit, quasi ex contrario priori membro sint opposita hoc modo: ut, cum me reverebatur tribus Levi, florebat, ita cum meum nomen polluebat ac prophanabat, contrita est, vita & pace destituta. Primùm enim hîc non impietas Levitarum explicatur, quæ vers. 8. infra exaggeratur, sed prædicatur eorum pietas, sicut versu sequenti sexto doctrinæ ac vitæ integritas. Deinde phrasis ipsa reclamare videtur, tum quod מִפָּנַי non ponat

Pijs promisit Deus bona.

Junij sententia reicitur.

Ratio 1.

2.

ponat causam privativam, sed positivam, ut etiam phrasis illa propter nomen meum, primò non significat propter nomen meum profanatum, sed potius sanctificatum aut cultum, tum quod verbum נָחַת de homine dictum, notet consternari animo præ timore, atq; ita ut se quis subtrahat, contrahatq; corporis membra, mentis formidinem corporis horrore indicando, unde sæpe verbo יָרֵא in scriptura conjunctum reperitur, Deut.1, 21. & 31, 6. Ios.8, 1. & 10, 25. 1.Sam.17,11. 1.Chron.22,13. & 28,20. 2.Chron.20,15,17. & 32, 7. Iob.6, 21. Ies.23,4. Et hæc ipsa constructio ita usurpatur Ier.1,17. Ezech.2, 6. & 3, 9. Quibus potest addi, quod græca versio exponat στέλλεσθαι αὐτὸν, ipsum se contrahere ex formidine. Si quis tamen omninò velit recipere sententiam Iunij, malim ob cohærentiam ita explicare, propter nomen meum profanatum, non ab ipsis Levitis, verùm ab alijs, tribus Levitica doluit, zeloq; pio exarsit, ut de Pinehas, alijsq; nonnullis constat. Inspice Encomium Mosis Deut.33, 9. 10. ut ita nihilominus hæc quoq; verba, quod σωέσεσα textus flagitat, ponantur in laude. non autem vituperio. Prius tamen præfero.

3. 4. נָחַת *jungitur verbo* יָרֵא

στέλλεσθαι. *Junij sententia. quomodo locum habeat.*

Vers. 6.] Id verò, quod pietatem suam majores horum Levitarum, quibuscum ait Deus per prophetam, Deo suo probarint, ita exponit, *Lex veritatis fuit in ore ejus*, veram doctrinam semper proposuit, ὀρθοδοξία docebat, nec verbum Dei falsare aut cauponari solebat, *& iniquitas non est inventa in labijs ejus*, quod non quidem simpliciter, verùm secundum quid, neque de omnibus omnino ejus dictis accipiendum (ita enim soli Christo hoc competit, Ies.53,12.) sed quatenus nullum seduxit aut decepit sua blandiloquentia, ut abduceret à meo cultu, quemadmodum alij pseudopro

Quomodo nulla iniquitas in labijs Levitarum.

phetæ faciunt. Hactenus ἄρσις nunc θέσις; *In pace & æquitate ambulavit mecum*, non me provocavit ad iram suis flagitijs, sed assuevit mecum meo more ac modo vivere, ut phrasis illa accipitur Iob 22, 21. Non declinavit à via mandatorum meorum ac tortuosa itinera à diabolo vel malis hominibus excogitata, verùm angustam & rectam ad cœlum viam institit, hebraicè בְּמִישׁוֹר *in rectitudine*, abstracto pro concreto posito ad emphasin, puritate morum veram doctrinam, ceu fas est, exornavit, non secutus sui seculi pravitatem, idq; fecit magna cum curâ ac sollicitè, ut notat phrasis illa, ambulare cum Deo, declarata Mich. 6, 8. & sic se comparando, doctrina & exemplo *simul multos avertit ab iniquitate*, & per veram pœnitentiam, quam legis & Evangelij sedula inculcatione excitavit, ad Deum reduxit peccatores, dum omnia sua ad usum morumq; correctionem ac νεκθεσίαν referebat sedulo.

In equitate cum aliquo ambulare

Abstractiũ.

Vers. 7.] Et hæc omnia jure ita præstitit, quia officij ratio ita postulavit, siquidem communis ministrorum Dei hæc est instructio, quæ sequitur (quomodo ab hypothesi ad thesin propheta progreditur, ne dicant hi præfracti sacerdoses, quid ad se pertineat factum majorum) *Nam labia sacerdotis observabunt*, h. e. ex hebraismo noto, observare jugiter debent, *scientiam* credendorum ac fugiendorum, vel ut Lutherus vertit, recht / puta in theoria, & *lex requiretur ex ore ipsius*, Deiq; verba ab eo sunt audienda, *nam angelus Jehovæ* Domini *Exercituum est*, voluntatisque divinæ nuncius ac interpres, Vide Hagg. 1, 3. qui pro Christo πρεσβεύει seu legatione fungitur 2. Corint. 5, 20 & ad docendum Dei verbum missus est, ut ipse Dei filius, Confer Johannis 1. 18. & 20, 21.

Præconum verbi instructio,

sunt legati Dei.

Vers. 8.

Vers 8.] Ideæ, imò etiam exemplis aliquot piorum sacerdotum expositis, quia contraria juxta se posita magis elucescunt, nunc ἀντίθεσις de malorum Levitarum doctrina & vita adijcitur, ut ita cuivis comparanti hac occasione inter se, tum hodiernos Levitas cum prioribus, tum etiam muneris ipsius descriptione, pateat, cùm illi rectè ambulaverint, hos multipliciter exorbitasse, cùm illi multis ab iniquitate averterint, hos plurimis præbuisse scandala. Quales enim illi veteres Levitæ fuerint, & quales omnes esse deceat, audivimus: videamus jam, quales vos, qui nunc tam sacro fungimini munere sitis. *At*, cùm illi vestri majores rectè coram me ambulaverint, *vos*, scientes mandata Dei & conversationem piam majorum vestrorum, *recessistis tamen ab illa via*, à me Deo vestro satis offensâ, & à patribus vestris probè tritâ, id quod est satis magnum flagitium. Longè tamen majus est, quod non tantùm ipsi malè vivatis, sed etiam alijs scandalo sitis, dum *fecistis*, ut *impingerent multi in legem*, quando malo exemplo auditoribus occasio ruinæ fuistis, quippe qui putabant suos doctores esse velut typum imitandum propositos. Quid multis? Vestra illa improbitate *corrupistis fœdus Leviticum*, de quo supra vers. 7. ut non acceperitis, quæ ego promisi, quia ex vestra hominum parte pietas promissa non implebatur, *ait Jehova* Dominus *Exercituum*.

Quidam sunt mali,

recedunt à via Dei.

& scandalum præbent.

Vers. 9.] Hæc est vestra culpa, audire, quæ sit à me decreta pœna. Ut enim illis vestris majoribus pijs dedi, quæ promiseram v. 5. ita vobis inobedientibus nil nisi malum debeo, quod etiam magnum dabo, quando vestram authoritatem imminuam, unde malorum sequetur ilias. *Ideoq; & ego* recedens à vobis, quia à meis mandatis recedistis, *reddi-*

[Authoritatis imminutio.]

di vos contemtos (prophetarum more hoc dicit Malachias, præteritum pro certissime futuro usurpans. Confer quæ in fine versus 3 supra sunt dicta) *& abjectos toti populo*, idq́, ut habet hebræorum proverbium מִדָּה כְנֶגֶד מִדָּה *pro ut vos me contemnitis & minimè observatis vias meas, sed accipitis personas in lege*, ut Lutherus vertit, sehet Personen am im Gesetze/ dum propter munera divites magni facitis & absolvitis, contra pauperes contemnitis, ac condemnatis, atq́ ita ad hominum gratiam legem meam nefariè inflectitis, quod tamen severè prohibui Lev. 19, 15. Deut. 10, 17. 2. Chron. 19, 7. Job. 13, 8. 10. Psal. 82, 2. Prov. 18, 5. in quibus omnibus locis (sicut etiam, in alijs Genes. 32, 20. 1. Sam. 25, 35. 2. Reg. 5, 1. Job. 22, 8. & 32, 21. & 34, 19. Thre. 4, 16.) quoniam phrasis illa נָשָׂא פָנִים significat personam accipere seu respicere, hîc significationem ejus perpetuam cum Iunio mutare, mihi est religio, præcipuè cum is etiã præpositioni ב in voce בַּתּוֹרָה vim inferre videatur, quando vertit, attollitis faciem contra legem, in quo sensu illam phrasin ullibi fuisse positam in biblijs non memini me legere. Certè priori modo cum Luthero & vulgata versione latina eam intellexerunt græci Interpretes efferentes eam, ἐλαμβάνετε πρόσωπα ἐν νόμῳ, & Hieronymus ita explicans eam, accipit faciem aut personam judex, quando faciem ejus, qui venit in judicium, intuetur, eaq́ movetur, ut illi contra jus faveat, sive quod amicus sit, sive quod potens, aut minax, aut lachrymabilis.

Accipiunt personam.

נָשָׂא פָנִים

Junij versio rejicitur.

LOCI COMMUNES,

Quia ipsa explicatio hujus capitis, plerisq́ in locis obscuri, præter spem excrevit, & loci doctrinæ hinc eruendi aliàs sæpius in prophetis prolixè sunt declarati, breviter indicabuntur.

Ex

Ex versu 1.]

I. est generalis ex tota parte priori. Quomodò tractandi sint falsi seu mali Ecclesiæ antistites, quorum vel negligentiâ vel nequitiâ cultus Dei profanatur, nempe graviter sunt reprehendendi, minis terrendi, inculcanda est officij demandati dignitas, Dei, si boni fuerint, in illos benignitas &c. Quibus omnibus si non corriguntur, restat divini judicij atrocitas, cui committantur. *Mali Ecclesiæ antistites quomodo tractandi.*

II. Nunc ad vos ô sacerdotes.] Et sacerdotes peccantes rectè possunt ac debent redargui, non temere quidem, sed tum, quum de delicto constat, priùs privatim, deindè, si non emendent vitam, publicè, 1. Tim. 5. 19. 20. Confer Ezech. 34. Matth. 23. *possunt redargui.*

Ex versu 2.]

I. Nisi] Dei minæ in regno gratiæ sunt conditionales. Ubi igitur locum habet decretum absolutum Calviniano rum, propter illas, quippe quæ simul stare nequeunt, explo ditur, & culpa interitus in homines conditionem adjectam non explentes confertur meritò. Sic enim ex hoc versu, imo ex verbis Dei veracis rectissimè inferimus: Si hi sacerdotes auscultaverint Deo, non immittet in illos maledictionem. Ita docetur hîc, quomodo ira Dei accersatur, & avertatur. Confer Deut. 32, 29. 30. Ies. 48, 18. *Minæ Dei conditionales.*

II. Indideritis animo.] Dei verbum ita est audiendum, ut in animo & corde reponatur Luc. 8, 15. aliàs fructum nullum ferre poterit. Ut autem id fiat, sedulò attendentibus Deus mentem & cor aperit Luc. 24, 45. Act. 16, 14. *Dei verbum cordi indendum.*

III. Immittam in vos maledictionem.] Depravationem religionis severè Deus vindicat, & illa, præcipuè cùm impœ- *Depravatio religionis.*

nitentia conjuncta, maledictionem meretur, vide Levit. 26. Deut. c. 28. *Ex versu 3.*]

Penuria. *I. Corrupturus sum vobis sementem.*] Ex pœnis publicis, quas Deus immittit Amos 3, 6. una est, omnium rerum penuria, qua de re in Amos 4, 6. 7. 8.

Sacrificia malorum. *II. Spargam fimum festorum vestrorum.*] Deus sacrificia improborum rejicit, qua de re in Amos c. 5, 21. 22.

Avaritia. *III. Ut abripiat vos ad se.*] Qui rebus caducis plus nimio sunt dediti, ut avari illi sacerdotes, quos hic propheta exagitat, tandem stercore velut obruuntur, & ut dilucidè dicam, æterna ignominiæ illis inuritur macula Eph. 5, 3. 5.

Ex versu 4.]

Dignitas ordinis Ecclesiastici. *Nostis enim, me misisse ad vos præceptum istud, ut sit fœdus meum cum tribu Levi.*] Maxima est ordinis Ecclesiastici dignitas, quod Deus non tantùm est illius autor, verum etiam fœdus cum ea iniit, & amplissima præmia constituit, cum in hac, tum in alterâ vita. Tale verò fœdus potissimum est cum sacerdotibus N. T. sancitum, h. e. cum omnibus Christianis, quibus Deus in Christo summo Pontifice vitam & pacem promittit, si hostias spirituales rectè offerant, fide purificati.

Ex versu 5.)

Pietatis præmia. *Dedi eas ipsi propter reverentiam nominis mei.*] Deus dat pijs pietati promissa præmia in hac vita, in quantum ipsis est utile ac conducibile. Inprimis autem propinquus est afflicto & contrito cordi Ies. 57. 15.

Ex versu 6.]

Ministri verbi recte doceãt & vivant. *I. Lex veritatis in ore ejus, & multos avertit ab iniquitate.*] Officium verbi divini ministrorum in his consistit potissimum, ut alios verbum Dei sincerè doceant, omniaque ad usum morum & correctionem dirigant, ut ipsi morum suo-

rum

rum integritate suæ doctrinæ puritatem exornent 1. Tim. 4, v. 12. 2. Tim. 3, 16. 17.

II. Avertit ab iniquitate.] Amicitia hujus mundi est inimicitia cum Deo Rom. 8, 7. Iac. 4, 4. *Amicitia mundi.*

Ex vers. 7.

I. Labia sacerdotis observant scientiam.] Verbi minister doceat, voce sua clamet Ies. 40. & 58. id quod olim in Ceremonijs Mosaicis videntur innuisse nolæ vestimento summi Pontificis appensæ. Exod. 28, 34. 35. Ut enim hic progredientes, sic illi in Ecclesia versantes audiri semper debent, ne muti canis titulus ipsis competat Ies. 56, 10. *Clament verbi præcones,*

II. Si debent Pastorum labia servare scientiam, necesse est, ut ipsi priùs eam sibi comparent, prius discant, quam ad alios de rebus sacris dicant Tit. 1, 9. 1. Tim. 4, 15. *sed prius discant.*

III. Lex requiretur ex ore ipsius.] Plebis est audire suos doctores, eosq; sequi, Heb. 13, 7. 17. Non tamen id h. l. dicitur, quod Pontificij inde cupiunt excu'pere, quasi sacerdotes non possint errare (id enim sequens versus statim redarguit) sed tantùm dicitur, quales meritò esse debeant, non quod tales semper sint & maneant. Confer Hos. 4, 6. & 5, 1. *Possunt errare,*

IV. Angelus Iehovæ Domini Exercituum.] Verbi minister est ipsius Dei legatus, 2. Cor. 5, 20. quoniam sicut Christum misit pater, ita etiam hunc mittit Christus Ioh. 20, 21. Admonet hoc nomen de multis: Ut enim Angelus Dei castus & justus est, diligensq; in expediendis ipsi demandatis officijs, ita etiam ijsdem ac similibus virtutibꝰ illum oportet esse præditum. Et quemadmodū angelus tantùm ea refert, quæ ipsi à Deo præscripta: Ita etiā verus verbi Dei minister non addat verbo Dei, non minuat ex eo, ut ita super pectus suum semper portet Urim & Thummim, h. e. doctrinæ sufficientē scientiam, & in moribus illæsam conscientiam. *Sunt angeli Dei.*

Ex

Ex versu 8.]

Vos retessistis & fecistis ut multi impingerent.]

Scilicet in vulgus manant exempla docentum,

Sunt typi fidelium.

prava, proinde magna cura ab illis adhibenda, ut sint boni typi fidelium, quos illi recte imitentur 1. Tim. 4, 12. 1. Cor. 11. 1. Phil. 3, 17. ut possint cum bono duce Gideone dicere Jud. 7, 17 Me versus respicitote, & sic facite, ut facio. Ita etiam optatus eventus ex Dei benedictione sequetur, ut Midianitas damnatosq; hujus mundi mores, homines ac diabolos vincant.

Ex versu 9.]

Autoritas vera,

I. Propterea reddidi vos contemtos.] Ut autoritas vera est donum Dei, Ita contemtus doctorum sæpe est pœna à Deo illis imposita, qui negligenter suum faciunt officium. Sæpè dico, quia quando malis displicent boni, severi ac diligentes, optimum est indicium Gal 1. Joh. 15. Et contrà, quando mali malis suis doctoribus ac hæresiarchis multum tribuunt non est vera autoritas, sed id, quod de Simone Mago dicitur Act. 8, 9. dum quisq; eorum se quendam magnum esse profitetur, magicà arte utens, mente emovet populum, qui etiam ipsi propterea saltem adhæret, v. 11. Sic Christus ipse à malis scribis. Pharisæis & Judæis præfractis contemnebatur. Quod illi solatio esse potest, qui cum sciunt se omnes officij partes καθόναμιν administrare, tamen apud plerosq; non sunt in magno precio. Duo igitur cum sic patiuntur idem, non ab ijsdem, neq; eadem de causa, non est idem.

& malè quæsita.

Προσωπολημψία.

II. Accipitis personas in lege.] Prosopolepsia à Deo damnatur. Vide in Joel 2, 28. L. C. 4.

PARS

PARS SECUNDA.

Vers.10.] Hactenus propheta sacerdotes duriter increpavit ob ea, quæ in culto divino ipsorum negligentiâ peccabantur: Nunc ad alia descendit, in quibus licet illi soli accusari non poterant, præcipuè tamen reprehendi merebantur. ideò, quod ipsi exemplo suo alijs essent mali autores. Populus itaq́, & cum eo sacerdotes, deinceps aliquot criminum reus peragitur, inprimis polutionis, quam ex gentilium connubijs contraxere, polygamiæ simultaneæ, divortiorum & impietatis manifestæ. Quod enim ad primum scelus spectat, ponitur per anticipationem hominum præfractorum objectio, quâ illa excusatum, imò defensum ibant hoc modo argumentantes: Vos prophetæ justo rigidiores tantoperè exagitatis nostra ex captivitate reducum cum gentibus contracta matrimonia. sed cogitate quæso, atq́ apud animum diligentiùs perpendite saltem hoc unum *Nonnè pater unus omnibus nobis est* in terrâ Adam, ex quo omnes omnium homines, sive Judæi sive gentes primum sunt orti & proindè communem quùm habeant cuncti originem, quî possunt alter alterum ita reijcere, ut nolint interse contrahere matrimonia? Accedit hoc, quod Deus ipse omnes fecerit, atq́ juxta habitare voluerit, *nonnè Deus fortis unicus creavit nos omnes?* Ita sanè, & proinde ad communionem connubiorum hisce cunctis patefecit aditum. Agite hunc nodum solvite sacerdotes, si potestis, desinite nos jam onerare injurijs, & nos propterea perfidiæ in Deum atq́ homines commissæ reos peragere. Quid? quod illa ratione gentiles in fœdus Dei cooptamus. Ad hæc autem omnia quasi indigna, quibus directo respondeat aut prolixè

De quibus hîc agatur.

Objectio.

1.

2.

3.

Responsio.

cum sint ex ratione humana deprompta contra expressum Dei mandatum, tantum hoc repetere satis habet propheta, & ipsorum conscientiam tacturus ita seipsos interrogare jubet: *Quare nos* Judæi, quibus Dei mandatum de non contrahendo cum gentibus matrimonio non est ignotum, *perfidi sumus alter in alterum*, dum ejus sororem aut filiam ductam rejicimus, aliena ejus loco assumpta? *profanando fœdus majorum nostrorum*, quod illi cum Deo initum de se non polluendis cum gentibus, Exod. 34,16. Deut. 7,2. 3 studiosè observarunt, quod scirent, Deum velle hunc suum populum ab omnibus alijs esse discretum. Hæc explicatio *Alia explicationes.* hujus versus mihi maximè probatur, qui suo quemq; sensu libens fino abundare. Sunt qui per unum patrem intelligunt Abrahamum, ex quo omnes Judæi, quasi sit pars refutationis à propheta institutæ. Verum præterquam, quod tum non satis benè hæc cum præcedentibus cohærerent, & ex abrupto planè inciperet hæc de connubiis gentilium tractatio, neq; illud satis benè quadraret, quod sequitur, numquid non Deus unus creavit nos? siquidem & gentes à Deo creatæ. Alij aliter interpretantur, quos, qui volet, videat: Nos ad prophetam revertimur.

Connubia cum gentibus prohibita. Vers. 11] Hic jam satis diserte porrò pronunciat, commistionem Judæorum cum gentibus contra legem Dei expressam factam, maximum esse flagitium, dignumq; quod à Deo magno puniatur supplicio, *perfide agit* (inquit) *Jehuda*, totus hic populus redux maximam partem omnis, unde de tota communione loquens genere fœminino utitur in textu hebræo בָּגְדָה (cujus vocis emphasis est, defecit à suo domino vel conjuge, atq; ita fregit fidem, quam illi astrinxit ad serviendum, huic ad diligendum. Confer saltem de posteriori

tiori significatione in hoc capite v. 14. 15. 16. Nam de priori hinc inde Jud. 9, 23.) à Deo suo turpiter defecit, cui juxta leges obedire debebat, dum suas conjuges priores quisq; repudiavit, atq; ita *abominatio fit in Israel ac Ierosolymis*, quæ urbs debebat esse sanctior, quum habeat templum ac sacerdotes, tantopere Deus detestatur illa repudia priorum Israeliticarum & matrimonia cum gentilibus fœminis contracta, ut fœdissimum βδέλυγμα. *Profanat enim Jehuda sanctitatem Jehovæ, quam amat* Deus maximè, & propterea vult manere inpollutam (ut ita ad ἄυξησιν adjiciatur ille προσδιορισμὸς, de quo valdè litigant interpretes, dum quidam reddunt, quam amaturus fuerat, seu amare debebat Jehuda: alij profanat, quam antea amaverat; Chaldæus verò, profanarunt illi, qui sunt de domo Judæ, corpora sua, quæ sunt sanctitas coram Deo) quemadmodum semper severè mandavit, ut hic populus esset sanctus, Deo suo separatus, & ab omni alio segregatus Deut. 4. Posthabito vero illo amore & mandato Dei Jehuda se polluit, *dum ducit filiam Dei alieni*, idoli alicujus cultui addictam. Ut enim pij dicuntur filij veri Dei, ita improbi idololatræ filii ac filiæ Deorum alienorum, siquidem horum cultui sint dediti. Historiam autem hujus rei vide Esdr. 9 & 10. & Neh. 13. 12. seqq. Observationem de nomine filij alibi exposuimus, sicut & ἔμφασιν verbi בָּעַל i. e. dominium habuit in rem à se possessam. Nam quod alij dicunt valere simpliciter, habuit, & emphaticè (quemadmodum ἔχειν apud græcos, & habere apud latinos Joh. 4, 18. Terent. 1. And. 1, 58.) usus est pro uxore, non dum capio, cum illam priorem significationem nondum exemplis biblicis firmatam viderim.

אֲשֶׁר אָהַב *quid h. l.*

Filia Dei alieni.

בָּעַל

Vers. 12.] Hæc est culpa & vestra, ô Israelitæ, abomina-

tio: Sed audite, quæ illi jam constituta pœna, & quæ futura Dei vindicatio, qui hic idem faciet, quod medicus in corpore, & hortulanus in horto. Ut enim ille putrida membra ense rescindit, ne pars sincera trahatur: Ita etiam Jehova: & hîc arbores infrugiferas evellit radicitus, ne reliquis frugiferis plantis sint damno: sic Deus in corpore vestræ Reipubl. ac in suo paradiso *exscindet* illos præcipuè, à quibus mali prima origo, *virum vigilantem & respondentem* illi viro, *qui fecerit illam* abominationem (de qua versu præcedente) *è tentoriis* seu urbibus. Psal. 87, 2. *Jacobi*, removebit ac tollet è medio magistrum ac discipulum ut R. D. K. verba hebræa explicat, quicum facit Lutherus, vertens beyde Meister vnd Schüler / exterminabit huic viro totam familiam, ita ut nemo sit, qui verba habeat aut respondeat ad ea, vel, si disciplinæ indagator quidam fuerit, dum docet, non erit ei, qui studiosè auscultet, neque qui respondeat inter discipulos, & si sacerdos fuerit, non erit ei filius hæres, qui patri succedat, ut offerat holocaustum Domino exercituum, quia etiam ex sacerdotibus quidam duxerunt uxores alienigenas ut scriptum est in libro Esdræ, quæ est veterum hebræorum explicatio, & satis benè explicat sequens membrum, exscindet Jehova *etiam offerentem munus Jehovæ* Domino *exercituum*.

Vigilans & respondens quis h. l.

Vers. 13] Justissima autem erit hæc pœna, quia estis præfracti, nec moniti meliora capessitis. Scitis ex Esdra atq; Nehemia, mihi non placere illa sacrificia à vobis in hoc peccato perseverantibus oblata, nolle me permittere hæc illicita conjugia, *hoc* tamen *nihilominus secundum facitis*, meq; ad iram provocatis, contristando conjuges Judaicas dimissas, *operiendoq; lacrymis altare Jehovæ fletu & exclamatione* gemi-

gemitu maximo, atq; adeo fœmineo ululatu (ut poeta dicit emphatice, id quod notat אֲנָקָה) quando uxor justa, injusta levicq; de causa prorumpit in lachrymas deq; injuria sibi facta apud Deum conqueritur, *adeò ut minimè amplius respiciat* Deus *ad munus vestrum* sibi oblatum, *nec cum benevolentia respiciat oblationem è manu vestra*, sed omnia à vobis impuris data pro impuris habeat.

Vers. 14.] Habuimus unam speciem vetiti conjugij, nempe cum infidelibus contracti, ubi priori conjugi remittebatur repudium: Accedamus jam ad aliam inter vos Judæos usitatam matrimonij illiciti speciem, polygamiam, scilicet, quando plures unâ ducitis uxores, & propterea reprehensi, quasi magna injuria afficeremini, protervè respondetis, & *dicitis, propter quid* verò ita acerbe redarguimur, scilicet hic superis labor est, ut curent, quot nos habeamus uxores, annon Deus ipse concessit potestatem viro in uxorem in paradiso, atq; ita ostendit, licere ipsi una repudiata ducere aliam, vel ad unam plures assummere. Eja autem tandem rectè, dicit Malachias, hoc est quod volo, propterea vos reprehendo, *quod Jehova* ipse *testificatus est*, sicut in paradiso inter Adamum & Evam, ut essent duo in carnem unam Gen. 2. Matth. 19. 1. Cor. 6. sic quoq; *inter te & uxorem adolescentiæ tuæ, contra quam tu perfidè agis*, ipsi super inducens agentem, & fidem ei datam fallens turpiter, *cùm sit* illa prima tua conjux vera *socia tua, & uxor fœderata tibi*, juxta ordinationem Dei ducta, cuiq; fœdere conjugij es devinctus ad vitæ, honorum ac laborum individuam societatem, & huic contra promissionem factam superinducis jam aliam, testis est Jehova inter te & illam, quam iniquè cum eâ egeris, & mox erit judex. Quod si virum bonam pudet falle-

Polygamia reprehenditur.

fallere, si vel unus vel pauci saltem testes alicuius contractus adfuere, in conjugio autem abs te contracto testes fuerunt Deus & angeli, annon ulla te, ne violes illum contractum, retrahere potest reverentia? Anne ita prorsus oblivioni tradidisti, illam primam conjugij institutionem, & de eo ritè servando severam sanctionem, quæ exstat Lev. 18, 18:

Ex institutione divinâ.

Vers. 15.] Ut enim de priori priùs dicam, uxor illa prima est fœdere sancto tecum conjuncta, *nam nonne unum effecit*, & unum par conjugavit Deus in paradiso, nonne voluit, ut duo saltem essent caro una, non plures, *quamvis reliqui Spiritus ipsius essent*, & proinde facile plures conjuges uni Adamo potuisset adjungere à se creatas, vel costas à viro sumptas efformans, vel terræ glebas inditâ animâ seu spiritu homines efficiens. *Quid vero unum tantum* par effecit? nempè *quæsiturum semen Dei*, hoc est justos liberos in justo conjugio. Et quamvis Deus hactenus connivens, ac vestrorum patrum mores patienter ferens Actor. 13, 18. tolerarit hunc nævum, tamen quo propius jam ad diem Rom. 13, 12. & solem justitiæ, id est, Christum venturum infra c. 4, 2. accedimus, decet etiam nos ad Dei mandata magis magisq; componere nostra facta, *ideoq; ex* Dei mandato vobis dico, *cauturi estis spiritui vestro & in uxorem adolescentiæ tuæ perfidè ne quisquam agat*, quia Deus te & illam fecit ac conjunxit, ut liberos procrectis, & hunc in finem fœdus inter vos sanxit. Quocirca quam chara est vobis vestra anima, tam studiosè cavete, ne queratis quicquam in conjugio nisi semen Dei, liberos ex justo procreatos matrimonio. Hæc sententia cum præcedentibus

Hactenus in V. T. eam Deus toleravit.

Cavete spiritui vestro.

Alia explicationes.

& con-

& consequentibus mihi videtur optimè cohærere: Alij per unum, Abrahamum intelligunt, & hoc modo explicant, sic non faciebat ille unus, nempe Abraham, qui tamen erat excellentiore spiritu præditus, & tamen non ducebat, nisi unam conjugem justam. Probant vero hoc, quod idem Jes. 51, 2. Ezech. 33, 24. dicatur unicus. Sed quod pace tantorum virorum dicam, hi loci quæsitum non conficiunt, tum quod utrobiq; expressa Abrahami mentio, hic non item, ubi ne in toto capite aut libro ejus nomen, tum quod ibi unus pluribus certo respectu opponatur, hic vero ex sententia horum interpretum, ut exemplum imitandum proponatur, dum deniq;, quod caput est, valet Abrahami exemplum in contrarium, quia is præter Saram viventem duxit Hagaram Genes. 16. quod factum tamen Deo displicuisse ipse eventus probat ibid. & Genes. 21. Galat. 4. Et quomodo dices, Ismaelem fuisse illud semē Dei, cum solus Isaac illo nomine veniat vel ex Dei disertis verbis? Nonnulli ita exponunt, nonne unus hoc fecit, id est Deus. Sed neq; hoc argumentum stringit Judæos polygamos, quum Deus unicus etiam omnes superinductas conjuges creaverit. Confer, quæ supra ad vers. 10. dicta sunt. Alij de Abrahamo accipiunt quidem, sed aliter, quasi sit à Judæis prolatum hoc exemplum, nonne unus, videlicet Abraham hoc fecit, ducens duas uxores? Verum Abrahami nomen unde in textum inferri possit, nondum claret. Unicus vero hîc restat scrupulus, cur לֹא pro הֲלוֹא accipiamus? Fit hoc, tùm quia scripturæ analogia id permittit, quam damus ex 2. Samuel. 13, vers. 26. 2. Reg. 5. vers. 26. Job. 2, vers. 10, & 3, 26. & 40, 20. & 21, 4, 29. & 22, 5. & 30, 24. Unde quid sit statuendum de

1.
Refutatur

2.
Refutatur

3.
Refutatur

לֹא *pro* הֲלוֹא

Ratio 1.

[Job. 13, 15 de explicatione dicti Job. 13, 15. constare cuivis cordato & æquo interpetationis æstimatori potest, quam frustra quidam propterea saltem rejiciunt, quod sit ibi לא non הֲלוֹא cum interrogatio ex idiotismo lingvæ sanctæ ex vers. 7. 8. 9. 11 & 16. possit facile ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeti. Cui adjunge vim verbi יָחַל quod notat cum desiderio exspectare, non cum horrore, ut notat Gesnerus Psal. 38, 15. Quod si de fideli spe sonat, non potest verti es/ ut Lutherus, sed jhn/ Deum nimirum. Quibus si quis velit ex Latino adjungere non pro nonne crebrò usurpari, ut in illo Poëtæ

Non pro nonne.

Non ego te vidi Damonis pessime caprum
Excipere insidijs?

Οὐ pro οὐχί.]

& οὐ atq; οὐκ pro οὐχί, μὴ pro μήτι in N. T. non rarò ita accipiendum esse, Matth. 6, 26. & 17, 24. Marc. 6, 3. & 11, 17. & 12. 24. Matth. 7, 22. 2. Timoth. 2, 25. 1. Cor. 9, 8. 9. & 10, 22. 2. Thess. 2, 5. 1. Cor. 6, 2. 3. 9. 15. 16. 2. Cor. 13, 5. vide D. Franzium de interpretatione Scripturæ pag. 153. non leve firmamentum nostræ explicationi attulerit. tum quia propheta omnino videtur ad objectionem Judæorum vanam hanc assertionem suam planam reponere. Illa erat v. 10. Nonne Deus fortis unicus creavit nos: subjicit Malachias, at nonne unicus ille unum etiam par conjugem in paradiso tantum creavit? ita certè, ut par pari referam.

R. 2.

Obj. Deus permisit libellum repudij.

Vers. 16.] Sed nondum sufficit, vos, quæ vestra est pervicatia, malefacere, idq; excusare, ita dicitis: Annon Deus hoc, quod tantopere reprehendis, concessit, Jehova ipso quasi justior aut severior, is libellum repudij permisit, quum quis oderit suam conjugem? Respondit Malachias propheta constantissimus, ne quisquam perfide agat in uxorem suam, quasi illa Dei permissione, seu verius paterna dissimula-

mulatione possit velut pallio obtegere suam violentiam, *quia* Deus *odit* ex animo illud vestrum שַׁלַּח, *dimitte*, Laß dein Weib lauffen (ut sit imperativus Piel per Ironiam repetitus, quemadmodum sæpe alias in ira Deus verba reproborum repetit cum indignatione. Vide in Amos 4, 4. Eccl. 12. quanquam etiam sine hac figura simplicius explicare rectissimè queamus ex idiotismo linguæ sanctæ dicentes, usurpari infinitivum Piel loco nominis h. m. odit Jehova illud dimittere vel demissionem conjugum) *dicit Jehova*, essentia unus, Deus אֱלֹהֵי *Israel* personis trinus, præcipuè quando quis contra conscientiam suam peccans & vel unam dimittens, vel plures assummens conjuges Dei illa permissione, quam putat satis excusare factum, *operit violentiam* velut pallio *aut veste sua*, *dixit Jehova* Dominus *Zebaoth* seu exercituum. *Quare cavebitis spiritui vestro, ut non agatis perfide*, sperantes vos facile tam calvis excusationibus absolutum iri. Ita etiam (salvo tamen meliùs sentientium, hoc est, suam explicationem ex scripturæ analogia, cohærentia horum versuum, & subjecta materia probantium judicio) puto simplissimè hæc & commodissimè verti, quod paucis firmatum dabo. Primum enim particula בִּי causaliter vertenda hoc innuit, quæ alias omnem suam vim perdit, dum sic argumentatur propheta, quia Deus odit illa repudia propterea cavebitis vobis, nec illa inter vos esse patiemini. Quæ vero esset ratio, si quis aliquem odit, dimittat, ideo cavete. Poterant enim (quod etiam nimis multum faciebant) Judæi ad suam palliandam nequitiam id adducere, quod Deus permisit, nobis licet; si repudium permisit, E. Quis verò credat prophetam, cum esset reprehensurus gravissimè, Judæis in contrarium suppeditasse argumenta? Deinde

sed odit. שַׁלַּח

Probatur hæc explicatio. 1.

2.

loca illa, in quibus nonnulli dicunt esse expressam illam à Deo factam indulgentiam, diligentius examinata aliud loquuntur. Deut. 24, 1. saltem de facto, non de jure fit sermo, imo v. 4. pollutio dicitur inde sequi, in quem locum vide Junium. Unde Matth. 5, 31. & 32. Christus illum morem corrigit, qui Matth. 19, 8. satis emphatice loquitur, Moses habens rationem duritiei cordis vestri permisit vobis, Deus autem ἐξαποστόλης Act. 13, 18. Deus igitur verè oderat illa repudia, & proinde hic non dicet, qui odio habet, dimittat, sed potius contrarium, licet toleraret & quasi dissimularet in suis filijs more seculi deceptis, sibi illud dimittere uxores, odio esse, dicit Jehova Deus Israelis, ideoq; ejus longanimatem nemo suæ prætexat violentiæ ut pallium, siquidem non omne, quod Deus toleret, statim approbat.

Deus toleravit divortia Judæorum.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 10.

Nonne pater unus nobis. Quia omnes homines ab uno trahunt originem, omnesq; ex uno Adamo fratres sunt, excitet singulos ad dilectionem mutuam hæc generis & sanguinis propinquitas. Ne igitur sit contentio inter nos, nam viri fratres sumus Genes. 13, 8.

Omnes homines ab uno parente.

II. *Nonne Deus unus creavit nos.* Deus est unus Deut. 6. 4. & ratione creationis, omnium hominum pater. Vide supra. c. 1. v. 6. L. C. II. quod argumentum ad caritatem proximo declarandam est efficacissimum, ut ostendit Apostolus Eph. 4, 3. 6.

Ex versu 11.

Judæi perfidi.

I. *Perfide agit Jehuda.* Si populus Judaicus tot miraculis edoctus & recenti beneficio eductionis ex captivitate Baby-

Babylonica ornatus potuit à diabolo seduci, ut magno se contaminaret, flagitio, quidni etiam nostris hominibus idem posset contingere? Rom. 11.

II. Profanat sanctitatem, ducens filiam Dei alieni.] Conjugia si sunt contrahenda in Domino 1. Cor. 7, 39. in iis contrahendis religionis habenda est ratio, ne nos copulemus cum heterodoxis: Alias contracta conjugia ob religionis disparitatem non debent aut possunt rescindi 1. Cor. 7, 13. 14. 1. Pet. 3, 1.

Religionis in conjugiis habenda ratio.

Ex versu 12.]

Exscindet Jehova virum vigilantem.] Conjugij, veluti fœderis à se confirmati, sed nefarie violati se verissimus vindex est Jehova Hebr. 13, 4.

Pœna violati conjugij.

Ex versu 13.]

I. Operitis lachrymis altare Jehovæ.] Alios sine causa in mœrorem conijcere, est grande peccatum: Natura enim Deique lex dictitat, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris Matth. 7, 12. Luc. 6, 31. Tob. 4, v. 16.

Alios ne contristemus.

II. Ut minimè amplius respiciat Deus ad munus.] Dissidijs & rixis conjugum omnia sacra impediuntur. Quomodo enim uni Ecclesiæ corpori inerunt tam procul distracta membra? Quomodo unius baptismi ac in Christum insertionis erunt memores, qui animis ita dissident? Quomodo de uno pane rectè comedent ac de uno vino bibent dignè, qui non cupiunt fieri unum in domino; quomodo unum Patrem in cœlis rectè invocabunt, fratremque unicum amabunt, qui se inimicè oderunt? Deo igitur maximè probatur Christianorum unitas ac concordia, Psal. 133. Ephes. 4. v. 3. seqq.

Concordia.

Ex versu 14.]

Conjugiū. *Jehova testificatus est inter te & uxorem adolescentiæ tuæ.*] Conjugium est ordinatio divina, non tantum, quia Deus id instituit & sacrosanctum esse vult ac inviolatum servari Genes. 2. Matth. 19, 1. Cor. 7. verum etiam quoniam, qui id prohibet, diaboli doctrinam profiteri dicitur 1. Tim. 4, 3. quo accedit illud sacramentum ac mysterium in eo adumbratum, de quo Ephes. 5, 26. 27. nempe spiritualis inter Christum & Ecclesiam conjunctio, Vide Hos. 2. Jerem. 3. *fœdus Dei.* Ezech. 16. 2. Cor. 11, 2. Apoc. 19. & 21. capp. Et demum quia peculiaria præcepta dedit de mutuis conjugum officijs 1. Cor. 7. Ephes. 5, 22. 1. Petr. 3, 6. 7. 8. Hinc conjugale pactum fœdus Dei appellatur. Prov. 2, 17. cujus testis locupletissimus ipse, & acerrimus vindex si quid ab altera parte nefariè peccetur. Unde sequitur, quemadmodum confœderati non sunt lædendi, ita neq; conjunx; aut ut Deus illos punit fœdifragos, ita etiam hos pacti sui & fidei datæ oblitos.

Ex versu 15.)

Polygamia. *I. Nonnne unum fecit.*] Deus tantùm duos unam carnem esse voluit, non plures, quomodo damnatur polygamia simultanea: Quod vero eam in patriarchis ac Judæis usutum receptam in V. T. tulit, neq; illos in totum, neq; hodiè quicquam Anabaptistas & alios impuros excusat, postquam Christus pravam illam consuetudinem ad legem & primam institutionem revocavit, Matth. 5. & 19.

Liberi semen Dei. *II. Quæsiturum semen Dei.*]

Conjugium humanæ est divina Academia vitæ: In illo enim plantulæ paradisi cœlestis educuntur: In illo affli-

I

afflictionibus plurimis & curis homines exercentur, ut tantò ardentius orent: In illo parentes ex sua in liberos στοργῇ (— si parva licet componere magnis.) Dei in se benevolentiam spectare & metiri incipiunt. Confer Eph. 3, 18. Psal. 1103, 11, 12. Cura autem præcipua hic esse debet, ut educantur liberi in disciplina & admonitione Domini Ephes. 6, 4.

Sic erit, ut semen sint maneantq; Dei.

Proverb. 23, 13. 14.

Ex versu 16.]

I. Sibi odiò esse dimissionem, ait Jehova.] Deus sæpe quædam in pijs tolerat, quæ tamen non probat, ut omnia peccata venialia. Vide saltem Christum cum suis discipulis, quàm multa fert in illis, quæ tamen reprehendit. Unde patet, quid sit statuendum de illo argumento: Quæ Deus severè non punit in suis, illa concessit, déq; illis dispensavit. Polygamiam non punivit severè. E. Major enim valdè infirma esse deprehenditur ex incestu Lothi, ex Noachi ebrietate, & si qua sunt similia. *Deus multa fert, quæ non severè punit.*

II. Operire violentiam.] Multi homines prætexentes Dei nomen in suis libidinibus & technis suam nequitiam velut pallio obtegunt. Christianos autem hoc velum decet removere & hypocritas agnoscere Matth. 6 & 23. *Pallium nequitiæ.*

PARS TERTIA.

Vers. 17.] Sed hæc hactenus, restat adhuc aliud non minus flagitium, de quo in versu & parte posteriori. Illud autem erat peccatorum defensio seu profana impietas & extrema petulantia, in quam paulatim ex superiori vitiorum assuefactione erant delapsi, ut etiam Dei justitiam ac veritatem *Blasphemia Judæorum.*

tem manifestis sannis, dicterijs ac scommatibus impeterent. *Verbis vestris fatigatis Jehovam*, quod ἀνθρωπινῶς dictum, idem est ac graviter Deus offenditis, cui maximè hoc displicet, & *dicitis* de eâ improbitate moniti, *qua in re fatigamus? in eo*, inquam, *quod* palam *dicitis, quisquis facit malum, bonus* videtur *in oculis Jehovæ, & istis*, qui nefariè peccant, *ipse delectatur*, flagitiosos amat ac juvat, je ärger stríck/ je beſſer glück/ malis ex Dei ordinatione benè est, ideoq; ut nobis etiam benè sit, tam malè vivimus, nil curantes tuas objurgationes, aut, si verum est, quod tu dicis, fore, ut propter nostra delicta pœnis afficiamur, qui fit, quod tam diu illæ differantur, *aut ubi est Deus judicij?* Deus ille ultionum. Psal. 94, 1. de quo tu adeo clamas. Ita se fere desperatos esse demonstrabant, quum nullum justi aut injusti amplius apud ipsos esset discrimen, nullus pœnæ metus, nulla præmij exspectatio.

Deo probari malos.

LOCUS COMMUNIS

Ex vers. 17.]

Pij, malis benè esse,

Fatigatis Jehovam] Quamquam & ipsi pij quandoq; hac tentatione exerceantur, an Deus sit retributor boni & mali, quum bonis malè, & malis benè in mundo esse videant, Psal. 37. & 73. Jer. 12. Job. 21. Habac. 1, 12. 13. tamen illi statim se ad verbi divini veritatem revocantes eriguntur: Impij vero cum in illam cogitationem deveniunt, ubi ipsis & alijs malis blandiuntur ac semper in sua progrediuntur malitia, adeo ut verè & ex animo dicant, non est Deus, Psal. 14. Aut si est, ubi est promissio adventus ejus ad judicium? 2. Petr. 3, 3. 4.

& impij, diversimodè considerant.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Argumentum.

Quod in populo Judaico ex captivitate Babylonica, reduce fuerint multi nævi & errores cum in doctrina, tum præcipuè in moribus & vita, tam in statu Ecclesiastico, quam politico & œconomico ex Esdra & Nehemia constat, quin etiam bonam partem in Haggæo, Zacharia & hoc ipso Malachia vidimus. Cumq́ vix spes superesset, fore ut in V. T. proficerent in melius ad novum animos piorum erigunt, ubi & Christi præcursor Johannes Baptista erat viam Domino suo probè paraturus Jes 40, 1. seqq. Matt. 3, 3. Joh. 1, 23. & ut verbo uno emphatico omnia comprehendam, πάντα ἀποκατατήσων Matth. 17, 11. & Christus ipse, quicquid errabat, in viam reducturus. Huc igitur inprimis blasphemos suos Judæos remittit noster propheta hoc loco, & ita dilucidè de utriusq́ adventu & officio vaticinatur ac si præsentes videret. Quia vero interea, dum ipsi tempore à Deo constituto advenirent, V. T. cum suis umbris vigere decebat, graviter reprehendit eos, qui decimas non solverent, & ijs, qui huic mandato obediunt, largam benedictionem promittit. Tandem in eos acriter invehitur, qui pietati illa promissa præmia vocabant in dubium; contra piorum pios de Dei providentia sermones approbat, & suam gratiam pollicetur, ut ita satis tandem appareat, quam benè justis, & malè improbis futurum.

Summæ Judæos malos.

ad Johannem & Christum ablegat.

Decimæ interea solvendæ.

Hinc liquet, popularem rationem si sequi volumus, caput hoc cum Dn. Wigando in tres partes rectè posse dividi, ut prima sit de Christo ejusq́ præcursore, & utriusq́ officio concio. Secunda, de peccatis facta accusatio & pœniten-

Ἀνάλυσις popularis.

nitentiam adjecta exhortatio. Tertia, cujusdam peculiaris
2. tentationis, quasi pijs semper male & impijs bene sit, institu-
ta refutatio. Vel cum alijs in duas partes potest distribui,
quarum prior sit de Christo, ejusq; præcursore perspicuum
vaticinium, posterior de pœnitentia agenda, ut beneficio-
rum Messiæ reddantur participes, Dei optimum consilium.
Alia prolixior. Partes tres. Verum quando singulas partes aliquanto accuratius rima-
mur talem hujus capitis possumus instituere ἀνάλυσιν, ut
partes itidem constituantur tres. I. de judicij divini admi-
nistratoribus primis ac præcipuis in N. T. divina prædictio
v. 1. II. ad digne illos excipiendos necessaria præparatio
per conversionem seriam, & de peccatis, etiam negatis, per-
spicua evictio v. 7. & III. Dei blasphemijs imminens ma-
I. ledictio, & pios manens benedictio. v. 13. In prædictione
est promissio de adventu Johannis baptistæ & Messiæ v. 1.
Hujus vero describitur potentia v. 2. & effecta in pios salu-
taria, qui à suis malis purgantur v. 3. & cum Deo reconci-
liantur ibid. & v. 4. in impios vero exitialia v. 5. ac horum
generalis à justitia & immutabilitate divina petita ratio v. 6.
II. In peccatorum evictione est & proleptica propositio v. 7.
ubi demonstratur Judæorum à Deo aversio, & præmon-
stratur ac præcipitur eorum ad Deum, & hujus ad ipsos vi-
cissim futura promittitur conversio, & ejus aversionis ex-
positio v. 8. & hujus pœna v. 9. conversionis autem & hu-
manæ in decimarum oblatione, & divinæ in benedictionis
collatione, quæ consistit in bonis positivis v. 10. & privati-
vis seu malorum ablatione v. 11. & hæc omnia consequen-
III. te Judæorum felicitatis celebratione. v. 12. In maledictionis
denunciatione primum status controversiæ ex ἄρσι & θέσι
formatur, seu potius ex Judæorum inficiatione & Dei pro-
batione

bationè constituitur, illa est vers. 13. non oblocuti sumus contra te: hæc versu sequente, imò dixistis, pijs esse malè, v. 14. & impijs benè v. 15. unde sequitur illa conclusio, istà verba vestra fuere mihi molestissima v. 13. Hæc autem illustrantur per antithesin piorum, quorum recensetur de Dei providentia rectissimum judicium v. 16. illisq; promissum præmium v. 17. Unde infertur contra priora: Revera igitur tandem magnum inter justos ac injustos discrimen est. v. 18.

PARS PRIMA.

De Christo, ejusq; præcursore hic agitur.

Vers. 1.] Hactenus de mala vita sacerdotum satis multa, nunc porrò de unico N. T. sacerdote Christo agere incipit, qui eos est purgaturus & in multis reformaturus, imò sacerdotium Leviticum ut umbram prorsus sublaturus. Ille verò ut tantò melius, quando advenit, observetur, deprodromo ejus seu præcursore priùs quædam afferuntur, ut ita ex illo velut phosphoro sol iste justitiæ statim subsecuturus agnoscatur, Confer infra c. 4. 2. Joh. 1, 7. 8. Psal. 132, 17. Joh. 3, 30. *Ecce* inquit Salvator apud prophetam, attentionem excitans, quia res magnas erat dicturus, vos blasphemè quæritis: Ubi est Deus judicij? tempore divinitus constituto certissimè me videndum vobis præbebo, *ego ipse* qui sum judicium annunciaturus, imo judicium ad victoriam prolaturus Matt. 12, 18. 20. paulo post *missurus sum*, (Benoni, pro paulo post futuro, ut alibi notavimus) quod non caret emphasi h. l. siquidem miraculosè fuit conceptus, natus & educatus, sicut Luc. 1. prolixè describitur, *angelum meum*, nuncium & legatum præcipuum, quo nemo major inter natos ex mulieribus extitit, Johannem baptistam Matt. 11. 10 &c. Mar. 1, 2. Luc. 1. 17. & 7, 27. Joh. 1, 6. 33. *qui* expe-

Ecce.

mitto

i. è. qui.

פְּנֵה

expediat (hebr. וּפְנָה, ו pro relativo אֲשֶׁר ut Psal. 5, 12. quod tamen simul præteritum vertit in futurum, & verbum ipsum notat, removere ex conspectu ea, quæ futura erant ingrata incessuro, *viam ante me*, clamans, parate viam Domini, complanate semitas ejus Mat. 3, 3. omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur, & quæ curva sunt, fient recta, & asperæ viæ fient planæ, videbitq; omnis caro salutem Dei Luc. 3, 5. 6. Marc. 1, 3. Joh. 1, 23. ex Jes 40, 3. 4. 5. ex qua collatione etiam hoc patet, Christum esse, qui hæc loquatur apud Malachiam, à quo tamen non discedunt, quod ad sensum, Evangelistæ, quum Deo patri hæc verba tribuunt, qui ita de suo filio dicat, mittam angelum meum ante te: Opera enim illa sunt toti S S. Trinitati communia, ideoq; modo huic, modo illi personæ rectè possunt attribui, neq; Evangelistæ semper omnia verba in allegando aliquo dicto retinent, ut Amos 5, 25. seqq. & 9, 11. Zach. 9, 9. indicatum est. A græca autem versione, quod illa longius recedat à textu authentico hebræo, dum habet ἀπβλέψεται ὁδόν, Evangelistæ hic discrepant, quod notandum contra eos, qui nimium illi tribuunt, eò quod spiritus sanctus quandoq; ex illa dicta V. T. alliget, puta tum, quum nihil mutatur in sensu. Etiã illud, quod nonnulli interpretes hoc loco velut mysterium magnum annotant, nimis subtile est, quod Christus h. l. (alibi enim ita dici posse, jam non disputo, sed nec μὴ τὸ ῥητὸν assero) dicatur facies patris. Quod enim pace tantorum virorum dicendum hic sit, hebraismum notum, ubi ante faciem לִפְנֵי vel simpliciter vel cum affixo ponitur pro ante, non attenderunt, quod, tamen ex Evangelistarum explicatione hic discere poterant, qui illa verba וּפְנָה־דֶרֶךְ לְפָנָי ita reddunt ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδὸν σου

לְפָנַי

Christus hæc dicit, & pater

Nõ omnia verba in allegatione dictorum habentur.

Receditur à græca versione. Christus hic non dicitur facies patris.

ἐμπροσθέν σε. Tantum de Christi præcursore Johanne baptista, qui cum in primo humilitatis adventu fuit Messiæ anteambulo, non de secundo majestatis ad judicium adventu hic agi, liquidò constat: De hoc verò ipso illa verba sonant, *& repente* post Johannem conceptum concipietur, natum nascetur, vinctum & à docendo prohibitum ad publicè docendum, Confer Luc. 1, 5. 13. 24. 26. 35. 57. & 2, 6. Matth. 4, 12. *veniet ad templum suum*, templum illud secundum, non ita pridem exstructum, quod tamen usq; ad Messiæ adventum in carnem durare debebat, vide Hag. 2, 7. 9. *Dominus ille* הָאָדוֹן, ille Dominus dominorum & cui meritò des nominis hujus honorem, quod sit per se SOLUS Dominus. Confer Psal. 110, 1. Dan. 9, 17. & in quo, tanquam basi (hebr. אָדָן) omnia subsistunt Col. 1, 17. *quem vos quæritis & angelus* à Deo patre in mundum missus Gal. 4, 4. Heb. 3, 1. *fœderis* in fœdere non tantùm promissus Deut. 18, v. 15. verum etiam, qui solus id ruptum instauravit & sancivit Heb. 7, 22. & 8, 6. & 9, 15. ille, *quo vos oblectamini*, ecce putatis longè abesse aut nunquam venturum, quando dicitis, ubi est? vers. ult. cap. præced. *veniens*, citò venturus est, *ait Jehova* Dominus *Exercituum*, ad emphasin eadem bis repetens, ut ita & præfractos ac securos excitet, & consternatos & timidos soletur & erigat. Ita enim salvo aliorum interpretum judicio, verbum prius מְבַקְּשִׁים cum Tremellio h. l. in malam, & posterius חֲפַצִים cum reliquis in bonam partem accipio: Illud, quia primùm antecedentia in Quæstione v. 17. cap. 2. & consequentia hoc cap. 3, 2. de malis & ira Dei erga ipsos agunt, deinde, quia, quo ad rem ipsam, loci paralleli hanc explicationem firmant, siquidem bonum malum quæri posse, & curiosè, ac

ἐμπροσθεν.

הָאָדוֹן Christus.

בִּקֵּשׁ h. l. in malam, partem,

cum ludibrio desiderati sæpe inde constat, vide Jes. 5, 19. Amos 5, 18. 2. Pet. 3, 3. Unde a particulari concludunt, qui ita colligunt: Ubicunq; homines aliquid divinum quærunt aut desiderant, bonus rei bonæ appetitus ad promissiones Dei se referens intelligitur. Hoc quia & verbi חָפֵץ emphasis & constans usurpatio in biblijs non permittit, ut de non serio desiderio usurpatum hîc credamus, & piorum fides vota & suspiria non indicarentur h. l. ubi tam de bonis ex animo Messiæ adventum expectentibus, quam de malis eundem ludificantibus sermo est. Nam quod nonnulli ex Jes. 58, 13. in contrarium adferunt, fallit, quia ibi de maximè serio affectu in rem malam agitur, & quod sciam, non per omnia æquè latè patent, licet agnatæ voces חֵפֶץ, verbum, & nomen חָפֵץ, quamvis nondum locum sciam, ubi etiam hoc notet, id, quo se quis ita oblectet, ut id spernat ac ludibrio habeat. Sed de his plus satis, nec verbum addam, ubi dixero, illud *Vos*, quod est in textu, de tota Ecclesia utrobiq; sumi synecdochicè, subjecta materia ita omninò exigente, veniet Dominus, de quo vos mali, in vestra blasphemâ interrogatione, ubi sit? quæritis, & angelus fœderis, quo vos boni in vestra miseria ut sospitatore & salvatore venturo oblectamini. Si quis meliorem hujus loci explicationem adferre & probare potest, magnam à me inibit gratiam, & meam sua luce facilè obscurabit.

in bonam accipitur

non contrà

Vos, synecdochicè sumitur.

Vers. 2.] Superiorum nunc sequitur aliqua confirmatio, vos mali vestro malo quæritis, ubi sit Deus judicij, ille certissimè affuturus est, vos autem ipsi ubi tum futuri estis? quum enim ipse jam aderit, quis vestrum coram eo consistet, qui felicitatem mundanam tantum in eo exspectatis: *quis autem* malorum *sustineat* (hebr. מְכַלְכֵּל cujus vocis signi-

מְכַלְכֵּל *quid notet?*

significationem hebræarum concordantiarum capita docent esse שֶׁפֵּרוּשׁוֹ סֶבֶל, significat portavit, sustinuit, tulit) græci, τὶς ὑπομενεῖ *diem adventus ejus.* Cujus completionem vide Matth. 2,3 & 3,12. & 21, 10. Vulgatus latinus interpres, quis potest cogitare, quod probat Ribera, licet inconvenientissimè dictum, quia radix propriè notet capere. Ubi duo opiter notamus propter eos, qui, si quid in interprete ex hebræa lingva declaravi vident, sæpissimè sine ullo prævio examine in sententiam propositam concedunt: unum, quod כּוּל in Cal & Hiphil significet quidem capere, continere, complecti, in Piel autem כִּלְכֵּל in biblijs nunquã pro capacitate accipiatur, ideoq; illa significatio ab hoc loco sit alienissima, ubi hoc, non illud reperitur: Alterum si maximè notaret (quod tamen probari non potest) capere, tamen non statim sequitur, ut latini capere, etiam græci χωρεῖν non tantum dicunt de corpore ambiente, verum etiam ad intellectum referunt, sic etiam hebræi. Hypothesis enim ista falsissima est & tum accipienda, quum liquebit omnium lingvarum esse eandem rationem, cum tamen constet, unicuiq; suos esse idiotismos, & ex unaquaq;, de his esse judicandum. quibus addo tertium, injustê dicam illis scribi, qui 1. Reg. 8, 27. (ubi extat in fonte non יָכִילוּךָ sed לֹא יְכַלְכְּלוּךָ, neq; in versione nostra begreiffen / sed nicht versorgen / maximè propriè) ex reipsa, scopo & cohærentia textus per consequentiam, majestatem Dei infinitam rectè concludi, non vero ex verbo capere simpliciter, asserunt, quibus faculam allucere poterant græci, vertentes οὐκ ἀκρέσουσι, οὐκ ἂν φέρουσι & ista παρέργως. vide secundam edit. Exerc. biblic. p. 179. 180. Per epexegesin phrasis illa h. l. explicatur, *aut quis* malorum coram hoc justitiæ præceptore,

כּוּל

Non, ut capere χωρεῖν, etiam hoc verbum accipitur.

quis tenebras amantium coram hoc sole consistet, *quum apparuerit* & in carnem venerit, quomodo ἐπιφανείας, φανερῶσθαι & ἐπιφαίνεσθαι vocabulum Christo visibiliter præsenti tam in adventu humiliationis, quam glorificationis in Nov. Test. attribuitur 1. Timoth. 6, vers. 14. 2. Timoth. 4, v. 8. Tit. 2, v. 11. & 3, 4. 1. Timoth. 3, v. 16. 1. Johan. 3, vers. 5, 8. Colos. 3, vers. 4. 1. Petr. 5, vers. 4. Metaphora sumpta est ab illis, quorum oculi exorientis solis splendorem recta intueri aut ferre nequeunt. Ratio hujus rei subjicitur petita ex duobus similibus, quorum prius ab aurifabro, posterius à fullone seu lotrice desumptum est. Ut enim coram illius igne nullæ scoriæ, nec coram hujus smegmate maculæ aut labes possunt subsistere, ita nec improborum cogitationes dicta & facta coram illo accurato rerum judice, *Nam ipse est quasi ignis conflatoris*, qui liquefacit metalla, ut omne impurum excernatur, *aut ut smegma fullonum*, qui possunt maculas eluere & vestes candefacere Mar. 9, 3. Confer Psal. 51, 4. בֹּרִית num notet propriè herbam, an aliud quid, cum nemine disputabimus anxiè, scientes id significari, cujus beneficio vestes eluuntur ac purgantur à maculis. Ut in alijs multis huic regioni incognitis fieri amat ubi rem tenemus, nomen ignoramus sine ullo nostro damno. Smegma exponunt Chaldæus Interp. R. D. Kimchi & Vatablus.

Ἐπιφάνεια Christo tribuitur.

Confertur cum aurifabro & fullone.

בֹּרִית

Vers. 3.] Nam *ut sedet* aurifaber *conflans & purgans argentum*, ita magno studio & accurata opera Messias adveniens *purgabit filios Levi*, omnes in ministerio verbi constituros à scorijs doctrinæ pravæq; vitæ repurgabit, vide Matth, 5. 6. 7. 21. 23. capp. Joh. 2. 3. 8. *defæcans eos velut aurum*

rum & argentum, ut sint Jehovæ, qui offerant munus justè, nempè λογικὴν λατρείαν Roman. 12, 1. πνευματικὰς θυσίας 1. Pet. 2, 5. ut ita, quod solenne est prophetis phrasibus V. T. res Nov. Testam. describantur & nomen figuræ tribuatur rei figuratæ. Filij enim Levi in Vet. Test. erant umbra ministrorum verbi in Nov. Testam. & sacrificia illa Christi ac Christianorum cultus, qui sunt Judæi spirituales, & Ecclesia superna quædam Jerosolyma, unde sequente versu munus Jehudæ & Jerosolymorum fit mentio, verum eo, quo dixi, modo.

Nomen figuræ rei figuratæ tribuitur.

Vers. 4.] *Et suave sit Jehovæ munus Judæ ac Jerosolymæ*, bona opera Christianorum, *sicut diebus priscis, & ut annis antiquis*, quando non ita erat religio depravata, & sacrificia in fide oblata erant gratissima, quomodo ad priora tempora respicit, non verò æternitatem, ut vel hinc satis liqueat, quid statuendum de illorum assertione, qui dicunt עוֹלָם notare per se & simpliciter æternitatem, & dies seculi Mich. 5. vers. 2. esse veram æternitatem. Si enim יְמֵי עוֹלָם sunt ipsa æternitas infinita, hæc sacrificia in illa sunt oblata. Non hoc. Ergo. Et proinde argumentum ex meris particularibus formatur, quod ita procedit: עוֹלָם (de vero Deo dictum) notat aliquando æternitatem ut Genes. 17. v. 33. Ergo semper simpliciter & per se. Rarissimè enim occurrit illa significatio, creberrimè illa altera. Probamus igitur Dn. Chemnitij Regulam in fine cap. 5. loci de lege par. 2. L. C. positam: עוֹלָם significat perpetuitatem secundum conditionem rei, cui conjungitur.

עוֹלָם *non notat simpliciter æternitatem.*

Vers. 5.

Vers. 5.] Venturum me, ô Judæi, jam audivistis: quid sim facturus, accipitote. Vos quæritis, ubi est Deus judicij supra c. 2, 17. *accedam ad vos in judicium*, &, quia pleraq; apud vos sunt corrupta, ac quotidiè ruere in pejus incipiunt opinione vestra citius adero, judicium divinum inter vos exerciturus, *ac ero testis festinantissimus*, de vestris sceleribus contra legem factis ex lege vobiscum disceptabo, judex ipse sum, quin etiam testis, ut ita nulli locus sit dilationi aut subterfugio, & quia hic in judicijs benè constitutis mos servatur, ut reus à testibus convictus damnetur, & ego testimonio divino & conscientiæ vestræ proprio vos convictos damnabo, sententiam feram & exsequar, unus ego omnia scelera novi & punire vos possum, testabor itaq; *contra præstigiatores*, qui miris artibus fascinant aliorum oculos, vel magicis incantationibus mirifica quædam efficiunt Exod. 7, 13. Dan. 2, 2. Vide Mich. 5, 12. Nahum. 3, 4. & *contra adulteros*, qui præter omne jus & fas in vivis conservantur, ac non, uti decebat ex lege divina Lev. 20. 10. Deut. 22. v. 24. à magistratu occiduntur, & *contra jurantes falsò* perjuros nomen Dei in vanum usurpantes Exod 20. 7. Lev. 19, 12. & *contra oppressione detinentes* שְׂכַר שָׂכִיר *mercedem mercenarij*, quæ huic debetur pro labore, contra mandatum, quod jubet statim illam reddere Lev. 19. v. 13. Deut. 24. 14. 15. & contra *pervertentes* Amos. 2, 7. potissimum in jure dicendo, sententiaq; ferenda causam inopum, qui destituuntur humano præsidio, quales sunt *vidua, pupillus ac peregrinus*, homines verè commiseratione digni, atq; ex naturæ lege juvandi, sicut præcipitur Exod. 22, 22. Deut. 16, 14 & 24, 17. seqq. à Deo patre pupillorum & defensore viduarum, Psal. 68, 6. Vide plura Zach. 7, 10. Amos 3, 9. & 4, 1. Mich. 2, 2. *neq; vimentes mei*,

Deus testis & judex.

Præstigiatores,

adulteros,

perjuros,

mercedem detinentes punit.

Personæ miserabiles.

mei, quæ impietas est omnium peccatorum radix, sicut contrà timor Domini omnis veræ sapientiæ initium, *ait Jehova* Dominus *Exercituum*.

Vers. 6.] Ne quis autem temerè id mihi obducat, cur jam adeò severiter & duriter nobiscum es acturus, cum anteà sæpè majores nostri gravissimè in te peccaverint, & tamen nondum planè sunt absumpti παναλεθρίᾳ, quam nunc comminaris? dicam vobis veram causam, quæ non in patribus vestris, verum me meoq; gratioso fœdere hæret, *quamvis* enim *ego Jehova non mutem* mea decreta, quæ feci ac promulgavi, tam in minis de pœnis, quàm promissionibus, *tamen vos filij Jacobi*, quibuscum in majoribus fœdus peculiare inij, non omninò *consumti estis* pœnis ac calamitatibus vobis immissis, quia & semper inter vos quidam boni fuêre reliqui, propter quos omnibus peperci, præcipuè autem ob intercessionem filij mei, qui ex vestrùm aliqua tribu est oriundus, & pœnitentiæ longius vobis dedi spacium. Ne igitur putetis, me mutasse sententiam illam, quâ dixi me perditurum omnes præfractè improbos, quum vestrum genus nondum planè sustulerim, atq; ita jam mihi placere improbos, supra c. 2, 17. infra v. 15. non ita est, ego Jehova unus & idem, & non muto, neque mutor Iac. 1, 17. erga vestros majores tamen ex peculiari quadam ratione connivere hactenus volui, licet malos, ut meritò de se usurpent illud Prophetæ Thren. 3, vers. 22. Summæ benignitatis Jehovæ est, quod non sumus absumpti, quia non finiuntur miserationes ejus. Hæc explicatio sequenti versu firmatur, ubi hominum iniquitas, & Dei ab illâ eos revocantis benignitas expressè indicatur, atque inter se componitur.

Cur mali non perditi?

Deus non mutat.

CAPUT TERTIUM
LOCI COMMUNES.
Ex versu 1.

Ministri verbi à Deo dantur.

I. *Ecce ego mitto.*] Ministri verbi à Deo mittuntur, qui Dominus messis extrudit operarios in messem Matth. 9, v. 37. 38. Vide Jes. 41, 47. Jer. 3, 10. & 14, 14. Hebr. 5, 1. 4. 5. Jer. 23, 21. Rom. 10, 15.

Baptista & Christus.

II. *Angelum meum.*] Johannes Baptista est Christi præcursor & nuncius, Christus autem templi Dominus, unde quodnam sit inter illius ministerium & hujus magisterium discrimen, patet Joh. 1, 26. 27. & 3, 28. 29. 30.

Via Christo expedienda.

III. *Qui expediat viam meam.*] Quoniam expedienda fuit via Christo venturo, multis illam tum temporis fuisse repletam impedimentis & obstaculis, hinc colligimus, tum doctrinæ, tum morum corruptelis, Vide Jes. 40. Luc. 3. Matth. 3. Simul etiam monentur omnes verbi divini ministri, quod hoc sit eorum officium, Deo suo expedire viam, quod fit, dum homines à malo ad bonum adducunt.

Christus amat templum.

IV. *Veniet in templum suum Dominus.*] Christus ad templum, non regium palatium venit Matth. 21. Luc. 19. urbem ingressus in templum se confert. Et, ut tum ad templum illud externum properat, ita semper ad Ecclesiam suam venit, quod piis est solatio, improbis terrori. Videmus autem hinc, regnum ejus, non esse de hoc mundo Joh. 18, 36.

Christus quæritur.

V. *Quem vos quæritis,*] Multi cum Judæis Christum quærunt, inventum autem recipere nolunt Luc. 4, 22. & 22, v. 67. 70. Simul etiam hoc videmus, Christum in Vet. Test. fuisse valde expetitum Luc. 10, 24.

ut angelus fœderis.

VI. *Angelus fœderis.*] In solo Christo pater nobiscum fœdus

fœdus pacis init, siquidem ille est, qui sanguine suo & morte nos reconciliat Rom. 5. 2. Cor. 5. quando peccata inter nos & Deum diviserunt Jes. 59, 2.

Ex versu 2.

I. Quis sustineat diem adventus ejus.] Etiam primus Christi adventus fuit impijs terribilis, siquidem purgat aream suam Matth. 3, 10. 12. Vide Matt. 2, 3. exemplum, verum culpa ac vitio hominum. *Ejus adventus terribilis.*

II. Est quasi ignis.] Christus luce verbi sui tenebras, & munditie in illo præscripta sordes hominum graviter redarguit, ut ita priorem similitudinem ad doctrinæ sinceritatem, posteriorem ad morum integritatem referamus. Hunc vero dominum suum fideles verbi ministri sedulo imitentur, curentq́, ut auditores in doctrina sint puri, in moribus inculpati. *In doctrina & vitæ puritas*

Ex versu 3.]

I. *Sedet conflans & purgans.*] Ut metallis scoriæ, sic nobis multum prævitatis inest. Patiamur itaq́ nos igne crucis purgari Jes. 48, 10. imò per verbum Joh. 15, 3. & fidem Act. 15, 9. 1. Petr. 1, 7. corda nostra purificari. *unde?*

II. *Ut sint Jehovæ, qui offerant munus justè.*] *Malorum sacrificia Deo non placent,*

Non benè cœlestes impia dextra juvat

ait poeta: sed ἐμφαλικώτερον Jesaias propheta c. 1, 11. seqq. quorsum mihi multitudo sacrificiorum vestrorum v. 16. Lavate vos, purificate vos.

Ex versu 4.]

Suave sit Jehovæ munus.] Munera, quantumvis parva, recto animo oblata, sunt Deo grata, Psal. 51. vers. 21. Luc. 21, vers. 2. Philip. 4, vers. 18. non quidem in se, sed per Christum 1. Pet. 2, v. 5. *piorum, & parva grata.*

Ex versu 5.]

I. Accedam ad vos judicium.] Peccatis Deus ad iram irritatur, & propè est Dei judicium, ubi non procul abest flagitium.

Deus est testis omnium factorum

II. Ero testis festinantissimus.] Deus testis est omnium peccatorum oculatus, quia videt omnia, & vicissim de illis testatur & accusat (1.) in extremo judicio Matt. 25, 41. 42. 45. neq; datur contra hunc tam locupletem testē ulla exceptio Rom. 2, 2. 3. Quando igitur alibi testes absunt, cave tamen peccare etiam in abdito, quia sine Deo teste ac arbitro nihil agere potes Psal. 139, 2. seqq. Prov. 15, 3. Sir. 23, 25, 26.

Quædam peccata gravia hodie non curantur.

III. Contra præstigiatores.] Licet quædam peccata habeantur levia, quæ vulgò impunè fiunt, ut præstigijs esse deditum, pejerare, mercedem mercenarij detinere aut detrahere, jus impotentium pervertere, tamen longè aliud decistis est Dei judicium, & proinde ab illis, qui volunt non tantùm haberi, verum etiam esse Dei timentes, sunt ista vitanda omnia, quia ille contra eos, qui talia perpetrant, accedet in judicium. Erant igitur à ministris verbi, ut Dei legatis 2. Cor. 5, 20. hæc majori cum zelo reprehendenda, & à magistratu, ut Dei vicem in terris gerente, Psal. 82, 6. prohibenda ac severiùs puniēda, quàm hodiè fit, ne & ipsis tandem imputetur, quod ipsorum negligentia committitur.

Timor Domini.

IV. Neq; timentes mei.] Ut omnium virtutum omnisq; sapientiæ initium est timor Domini Prov. 1, 7. & 9, 10. ita contrà omnium vitiorum ac flagitiorum scatebra & sentina est timoris Dei vacuitas Psal. 36, 2.

Ex versu 6.]

Dei immutabilitas.

I. Ego Iehova non muto.] Deus ut in essentia sua non mutatur

tatur Psal. 102, 26. Ita nec decreta sua tam in promissionibus, quàm comminationibus mutat 1. Sam. 15. 29. Non Deus irritum

Quodcunq; retro est, efficiet, neq;
Diffinget, infectumq; reddet,
Quod sapiens semel ore dixit.

Jes. 46, 10. Unde ipse nomen habet Exod. 3, 6. Ero qui ero. *& longanimitas.*

II. *Vos filij Jacobi non estis consumti.*] Non quoties peccant homines, sua fulmina mittit Jova, sed sua longanimitate longius spacium dat ad pœnitentiam Rom. 2, 4. 2. Pet. 3, 9. quod tamen qui planè contemnunt, graviùs punientur, ut in diluvio videre est.

SECUNDA PARS.

Vers. 7.] *Nam inde à diebus* (hebr. לְמִימֵי, ubi ל & מִן concisum simul positum ad emphasin, vide Buxt. Thes. lib. 2. c. 20. p. 532.) *majorum vestrorum*, inter quos semper plures pij, quam inter vos, vos ab illis orti filij fermè semper *recessistis à statutis meis, neque ea unquam* ritè *observastis*, ut jam ferè inveterata sit vestra malitia, & callum propemodum obduxeritis, & prope sit, quum planè est pereundum, si pergitis. Hoc autem consilij restat, quod dabo; *revertimini ad me, & revertar ad vos, ait Jehova* Dominus *Exercituum*, qui etiam illud promissum non muto, supra v. 6. quod extat Jer. 18, 8. *ait Jehova* Dominus *Exercituum.* Vide autem hæc pleraq; prolixiùs declarata Zach. 1, 3. 4. *sed*, quum alij multi, sicut & majores vestri magnam partem à me moniti se emendaverint, vos, quæ vestra est obstinata malitia, semper respondentes *dicitis, qua in re revertemur?* quandoquidem nunquam nos à Deo aversos fuisse agnoscamus, quid

Pleonasmus emphaticus.

Aversi à Deo.

nolunt agnoscere suum peccatum.

commisimus? aut quando abs te, ô Deus, discessimus, quod nos jubes reverti. Ita vos ἀπηλγηκότες Eph. 4, 19.

Vers. 8.] Quid vero Deus omniscius ad hæc reponit? Vosne quidem recessisse à me animadvertitis, quem toties in decimis, alijsq; debitis cultibus defraudastis, hoccine est humanum aut pium factum? *An spoliet homo* seu quisquam à Deo creatus creatorem suum *Deum*, à quo, quæ habet, accepit omnia? non ita fieri debebat, merito igitur conqueror, *quia vos spoliatis me*, & tamen nullam culpam agnoscentes præfractè *dicitis, qua in re spoliamus te?* Vultis dicam? *decimis* scilicet *& oblatione* תְּרוּמָה a רום id est, altus fuit, notat collectam levando oblatam, quemadmodum Lutherus benè vertit, ein Hebopffer. Quod autem verbum קָבַע potius spoliare per deceptionem, cum Luthero teuschen/ cum LXX. ἐν πλεονεξίᾳ, cum Aquila, Symmacho, Theodotione μὴ ἀποστερήσῃ, quàm vulgato Interprete & Ribera, affliget, vertamus, in causa est, quod neq; illa significatio in usu sit, vide Prov. 22, 23. neq; huic loco conveniat, ubi ex contrario v. 10. הָבִיאוּ afferte, patet, quid velit, videlicet, qui antea debitum solvere intermiserant, nunc deinceps exsolvant. Quoniam autem alibi in biblijs hebræis illud verbum non extat, quàm in locis jam indicatis, ubi capiendi ac spoliandi significatio est perpetua, unde suam convictam, torquere, ut illos qui affiguntur palo, probabit Jesuita? Ipse viderit, nos notamus loca pauca de oblationibus observanda Num. 18, 9. 19. Neh. 10, 27. & 13, 7. 9. Culpam evici, sequitur pœna. Respondere quidem poterant Judæi accusati, se non abundare, quia multa in templi ædificationem, suaq; rei familiaris reparationem impenderant, sacerdotes contrà esse nefariæ libidinis & avaritiæ intolerandæ reos, ac præ-

Deus non est spolianda.

תְּרוּמָה

קָבַע

non notat id, quod vult Ribera,

Excusatio Judæorũ

præterea in officio negligentes, quibus non injuria subtrahantur oblationes & decimæ: Verum Deus has excusationes non recipit, sic intonat, *maledictione estis maledicti*, emphaticè repetit cognatum vocabulum בְּמְאֵרָה אַתֶּם נֶאָרִים quod Lutherus, vertens, Darumb ſeid jhr auch verfluchet/ daß euch alles vnter den Händen zerrinnet / indicare voluit, *eò quod vos me spoliatis gens ipsa tota* הַגּוֹי כֻּלּוֹ quod pessimè (sicut & prima hujus versus verba) vertere græci, τὸ ἔτι συνετέλεστε. In germanicâ autem nostra versione hæc ultima verba à Luthero b. m. omissa, & voce Jhr inclusa, quum nequeam adduci, hæc ultima verba esse reddita per priora illa germanica, Das euch alles vnter den Händen zerrinnet / siquidem verba hebræa, quæ iste heros probè intellexit, planè aliud clamitant, & vulgata versio latina indicat.

rejicitur

Hebraismus à Luthero explicatus,

quomodo

Vers. 10.] Exoptatis autem benedictionem, uti credo, agite, *afferte omnes decimas in thesaurum* Domini, *ut sit cibus in domo mea* pro Levitis ac sacerdotibus, *& probate me jam, in hoc, ait Jehova*, Dominus *Exercituum, si non aperuero cataractas cœlorum* dando vobis largam pluviam Genes. 7, v. 11. 2. Reg. 6, 35. (quemadmodum cùm non pluit, cœlum dicitur fuisse clausum Luc. 4, 25. Jac. 5, 17.) *& proferam vobis* abundè *benedictionem* hebr. וַהֲרִיקֹתִי ita proferam, ut omnem velut copiam evacuem, quod etiam notat epexegesis, *adeo ut non sufficiatis*, ut non sit vobis sat horreorum, in quæ reponatis segetes, עַד־בְּלִי־דָי usq; ad non sufficientiam, hoc est, abundantissimè, ut vix sitis accipiendis vel ferendis meis muneribus. Lutherus sensum benè expressit, Ergen herab ſchütten die fülle.

Cataractæ cœlorum aperta, clausæ. הריק

Vers. 11.

Deus benedicit segeti.

Vers. 11.] Contrà omnis generis maledictiones tollam, & inprimis agrorum, à quibus avertam locustam, bruchum, aliaq; segeti noxia animalia & insecta, idq; facilimè sola increpatione aut nutu, *increpabo vestri causam exedentem*, id omne, quod fructus vestros absumit, vide Ioel 1, 4. *ut non corrumpat vobis* deinceps *fructum terræ, neq; orbet vos* spe vestra frustrante *vitis in agro*

——— quam non violento Sirius æstu
Exurit, non torret hyems, sed prodiga læto
Proventu beat agricolam, nec flore caduco
Arridens blanda dominum spe lactat inanem.

ait Jehova, Dominus *Exercituum*, Confer Levit. 26, v. 19. Deut. 11, 17. Iob. 12, 14. Amos 4, 7. Hagg. 1, 10.

Vers. 12.] *Itaq; beatos prædicabunt vos omnes gentes, quia vos eritis terra oblectationis*, quam Deus oblectabit suâ benignitate, & ipsa vicissim sua fertilitate omnes vicinos, ita ut desiderent eam inhabitare, vestramq;, qui incolitis, felicitatem deprædicent, *ait Jehova*, Dominus *Exercituum*,

LOCI COMMUNES.

Ex versu 7]

Omnia ruunt in pejus.

I. *Inde à diebus majorum vestrorum recessistis.*]

Damnosa quid imminuit dies?
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Nam quotidiè crescit diaboli invidia & astutia Apoc. 12, 12. hominum augescit malitia & peccandi licentia. Gen. 6, 5. Luc. 17, 26. Decrescit vero ministrorum verbi in arguendis flagi-

flagitiis fervor & industria, ac magistratus inpuniendis flagitijs severitas & diligentia.

II. *Revertimini ad me.*] Modus eluctandi ex malis est vera resipiscentia Jer. 18, 7. 8. Resipiscentibus enim Deus aut prorsus condonat, aut lenit impendentes ac premen-tes pœnas ac calamitates, aut si immittit, citò ex illis libe-rat. *Resipiscentiæ fructus*

Ex versu 8.]

An spoliet homo Deum decimis & oblatione.] Gravissimè peccant, qui ministris verbi sua detrahunt stipendia, quæ etiam malis in moribus, quamdiu tolerari queunt, sunt sol-venda, ne Deus ipse, cui illi serviunt, hanc suis legatis illa-tam injuriam ulciscatur. Vide quæ dicta sunt ad cap. 3. Mich. Gal. 6, 6. Rom. 15, 27. 1. Cor. 9, 7. *Stipendia danda mi-nistris verbi.*

Ex versu 9.]

Maledictione estis maledicti, quia me spoliatis.] Causa malorum omnium, quod homines Deo non obediunt, sed se ipsi in multis opponunt, quemadmodum in Adami lapsu cernere licet, & Judæi populus Dei egregium hujus rei pos-sunt præbere exemplum. Vide Judic. 2, 3. 4. 6. 10. Luc. 19, 43. *Inobedi-entes Deus punit.*

Ex versu 10.]

I. *Afferte omnes decimas, ut sit cibus in domo mea.*] Etsi in Nov. Test. ipsæ decimæ non amplius sunt in usu, nisi pau-cissimis in locis, tamen id jus divinum manet, ut, qui altari deserviunt, ex altari vivant, 1. Cor. 9, 11. 12. 13. 14. Proinde semper ministris verbi de victu & amictu prospiciendum & offerenda sunt ab auditoribus ea, quæ in sustentationem eorum sunt ordinata. *Decimæ in N. T.*

II. *Probate me jam*] Magnum hoc est benevolentiæ divinæ signum, quod Deus ita se vult probari, ut non im- *Dei bene-volentiæ.*

meritò cum psalte hîc exclames ex Psal. 34, 9. Gustate & videte, quàm suavis sit Jehova.

Deus benedicit agro

III. *Si non aperuero cataractas cœlorum.*] Deus aperit & claudit cœlos Deut. 27, v. 28. & ex ejus manu sunt fruges, omnisq; alia terræ benedictio. Vide quæ dicta sunt Joel. 1, v. 6. 7. & 2, 22. sicut etiam de iis, quæ afferti hîc poterant ex v. 11. dictum est prolixius Joel. 1, v. 4. 6. 7. seqq. Deus enim

& maledicit.

est, qui insecta vastantia & devorantia fruges immittit & tollit Exod. 10, v. 5. 12. 19. Ps. 105, v. 31.

Ex versu 12.]

Beatitudo.

Beatos vos prædicabunt omnes gentes.] Beatus est quisquis reveretur Iehovam Ps. 112, v. 1. qui ambulat in viis ejus Ps. 128, v. 1. in integritate, juxta legem Jehovæ, Psal. 119, v. 1. vide Lev. 26, 3. seqq. Deut. 28, 1. 2. &c.

TERTIA PARS.

Vers. 13.] Ampla hæc est, eaq; verissima promissio: vos autem ô obstinati Iudæi, quæ vestra est pervicacia, fidem illi non habetis, sed ut mendacis verbis fidem detrahitis, 1. Iohan. 5, v. 10. & ne putetis, ignorare me, quodnam sit vestrum judicium, attendente, edisseram. *Invaluerunt contra me,* חָזְקוּ עָלַי prævaluerunt mihi, Lutherus Ihr redet hart

Verba contra Deum invalent.

wieder mich / aggravastis me verbis vestris, quæ mihi fuere longè molestissima v. 17. cap. 2. *ait Jehova, sed* vos sperantes ita compressam à vobis esse illam blasphemiam, ut emanare nequeat, *dicitis quid oblocuti sumus contra te?* hebr. נִרְבַּרְנוּ frequenter diximus infra v. 16. sed ibi in bonam partem accipitur, hîc in malam, quia de malis fit sermo, &

נִרְבַּר

con-

constructio diversa idem probat, quum verbum illud ibi absolutè. hic cum עַל occurrat.

Vers. 14.] Tantane verò hominem quenquam affectum audacia, ut, quæ sunt satis cognita ac perspecta, præfractè neget? *Dixistis* admoniti, ut Deum coleretis, quod si feceritis, futurum, ut benedicat vobis v. 10. 11. non credimus istis pollicitationibus, *vanum est colere Deum, & quod lucrum* erit nobis, *quum observaverimus observationem ejus, & quum ambulaverimus atratè metu Jehovæ*, Domini *Exercituum* in luctu, cinere ac sacco humilantes nos coram Deo, idque, veris pœnitentiæ indicijs testatum facientes, ut ita synecdochicè indicentur uno signo reliqua omnia. *Ambulare atratè.*

Vers. 15.] Nec̃ hic se reprimit vestra audacia, pergitis porrò, *imò nunc felices prædicamus superbos, quia ædificantur*, in mundo crescunt augentur bonis, divitijs atc̃ honoribus, liberisc̃ abundant, *qui faciunt iniquitatem & qui probant* sua impœnitentiâ *Deum*, num sit verax in comminationibus, quasi tentantes eum suis grandibus flagitijs, an etiam possit ulcisci, illi *liberantur*, ab omni malo sunt immunes, ubi probare Deum in malam partem, sicut & Psal. 95, 9. supra verò vers. 10. in bonam, utrobic̃ de experimentali probatione usurpatur. De significatione verbi בָּנָה id est, fecit familiam alicujus ad opes & dignitates assurgere, & quod de liberorum generatione usurpetur sæpè, eò quod non minima felicitatis pars in Vet. Testam. reputatur, non esse ἄπιστον, Vide Gen. 16, vers. 2. & 30, v. 3. Exod. 1, v. 21. Deut. 28, v. 4. 11. & Psal. 128, v. 3. 4. 6. 2. Sam. 7, v. 12. *Probare Deum.* בָּנָה

Piorum voces.

Vers. 16.] Tunc verò, quum impij ita blasphemè de Dei providentia ac gubernatione justissima sentiebant ac loquebantur, contrà pij, qui, reverentia Dei, in ejus cultu continentur, per fidem alter alterum consolantur gloriosumq; Christi adventum patienter exspectant, atq; *timentes Jehovæ* frequenter prædicant (vide & confer v. 13. ut oppositionis vim perspicias) *alter apud alterum* continuò sibi subjiciunt invicem, dicentes: Vocent improbi isti Dei justam rerum omnium administrationem in dubium, nobis longè alia mens est, & hæc sententia sedet: *Certè attendit Jehova & audit*, & impiorum blasphemias, & piorum litanias, & quod hos attinet, non oblivioni traditur eorum oratio, quicquid faciunt & orant, *conscriptum est in libro memoriali* (hebr. זִכָּרוֹן, μνημοσύνα Deut. 32, v. 34. humanitùs dictum de Deo, sumptâ metaphorâ à regibus, qui plerumq; habent annales, in quibus, quorum meminisse volunt, curant annotanda, sicuti patet exemplo Regis Persarum Esther 2, 23. & 6, 1.) *coram eo, pro timentibus Jehovæ, & cogitantibus* rite *de nomine* ac majestate *ejus*, לְחֹשְׁבֵי שְׁמוֹ Die ihres Allmechtigen HErren reputation wol wissen in acht zu nehmen.

זִכָּרוֹן *Liber memorialis Dei.*

חֹשְׁבֵי שְׁמוֹ

Pij Dei peculium. סְגֻלָּה

Vers. 17.] Sententia autem eorum, quæ in libro Dei erant scripta, est hæc: *Hi* pij *erunt mei, ait Jehova* Dominus *Exercituum meum peculium*, Confer vers. 3. cap. 4. סְגֻלָּה περιούσιον, λαὸς εἰς περιποίησιν 1. Petr. 2, 9. & περιούσιος Tit. 2, 14. *Illo die, quem ego facio* per Christum tempore N. T. *& clementia utar erga ipsos, quemadmodum quis utitur clementiâ erga filium suum, qui colit ipsum.* sup. 1, 6. quem duplici nomine amat, tum quod filius, tum inprimis, quod obediens, & ut pater filium leviori aliquo vitio laborantem magis curat,

curat, sic Deus etiam amare non desinit agnoscentes suam imbecillitatem, piorumq; errores ad trutinam severam non exigit.

Vers. 18.] *Tunc conversi* vos improbi post seram nimis pœnitentiam Sap. 5, 1. seqq. Luc. 16, v. 23. *videbitis* vos falsos fuisse, quando cognoscetis *inter justum & improbum* quid interest, *inter colentem Deum & illum qui non colit ipsum*. De phrasi hebræa, quæ forte non est in vulgus nota, vide Buxt. thes. lib. 2. c. 20. in syntaxi speciali cum nominibus p. 525. edit. 1609.

Impij sero sapiunt.

בין *sequente* ל

LOCI COMMUNES.

Ex versu 13.]

Prævaluerunt mihi verba vestra.] Si molestum est homini pro beneficijs parvis mali messem metere, cogitemus quàm hoc doleat Jehovæ, sibi non modo nil apponi gratiæ pro immensis beneficiis, verùm & homines à se creatos, redemptos ac bonis omnibus ditatos sibi respondere, & obloqui, imò blasphemare. Vide Antidiluvianos, Pharaonem, Sennacheribum, & similes, quibuscum diu & multùm disceptavit Dei Spiritus Gen. 6, 3.

Deo obloqui.

Ex versu 14. & 15.)

Dixistis, vanum est colere Deum.] Hæc tentatio etiam pios sæpe exercet, qui fiat, cùm Deus sit bonus ac justus, ut malis quandoq; sit benè, & bonis malè, vide Job. 21. Ps. 37. & 73. Jer. 12. Supra c. 2, 17. Qua de re cùm sæpe sit actum, placet tantùm hoc loco quorundam scriptorum profanorum judicium adjicere, & primò quidem Claudiani lib. 1. in Ruffinum quosdam versus in illam sententiam apponere:

Malis benè, Bonis malè.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector & incerto fluerent mortalia caſu.

Et porrò:

Sed cum res hominum tantâ caligine volvi
Aſpicerem, lætoſq; diu florere nocentes
Vexariq; pios, rurſus labefacta cadebat
Religio &c.

Theognis

Πολλοί τοι πλεῖστοι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται.

Agnoverunt hoc Ethnici.

Idem:

Πολλοὶ πλοῦτον ἔχουσι ἀίδριες, οἱ δὲ τὰ καλὰ
Ζητοῦσι, χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ.

Vide Senecam in lib. de gubernatione mundi & Gell. l. 2. c. 18. ubi concludit: Ex quibus intelligas, non omnes Dijs exoſos eſſe, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur, ſed eſſe arcanas cauſas, ad quas paucorum potuit pervenire curioſitas. Ovid. lib. 3. Amor. Eleg. 8.

Cum rapiant mala fata bonos; ignoſcite faſſo,
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.

Ita autem diabolus bonos tentat, ut a cultu Dei deficiant, malos tenet, ut in ſua malitia pergant.

Ex verſu 16.)

Pietatis præmium

I. *Timentes Jehovæ prædicant, attendit Jehova.*] Pietas habet præmium hujus & futuræ vitæ 1. Timoth. 4, verſ. 8. & voluntatem timentium ſe facit Jehova Pſ. 145, verſ. 18. 19. & 81, 11. Prov. 15, verſ. 8. 29. Jeſ. 65, verſ. 24. Sir. 35, verſ. 19. Jer. 29, verſ. 12. 13.

Libri Dei.

II. *Conſcriptum eſt in libro.*] Libri Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς. Ut enim homines ea, quæ volunt meminiſſe, notant

notant in libro: Sic Deus ratione effectus eorum, quorum non obliviscitur, nomina in libro consignasse scribitur. Est autem liber Dei Providentiæ Psal. 139, v. 16. II. Iudicij Dan. 7, vers. 9. 10. Apoc. 20, vers. 12. III. Vitæ Psal. 69, vers. 29 Philip. 4, vers. 3. Apocal. 3, v. 5. & 13, 8. & 17, 8. & 21, 27. Hoc loco liber providentiæ intelligitur, Quatenus Deus certò tandem liberaturus est suos ex malis, quum habeat eorum notitiam semper ut μνημόσυνον. 1. 2. 3.

Ex versu 17.]

Hi erunt mei.] Deus tandem facit, si non in hac, certè in altera vitâ, ut omnes intelligant, quid inter pium & impium interfit, quia illius pater, hujus severus judex Psal. 37, v. 37. 38. Rom. 2, 7. 8. 2. Thess. 1, 5. 6. Jes. 66, 13. *Piorum & impiorum discrimen.*

Ex versu 18.]

Tunc videbitis inter justum & improbum quid interfit.]

——Tandem bona causa triumphat,

& sæpè eventus mirabiles testantur de paterna Dei erga pios providentia. Vide Noachum in diluvio, Israelitas in Ægypto, Petrum in carcere, Paulum inter Iudæos hostes suos infensissimos, ut dicas cum psalte Psal. 58, 11. 12. Lætabitur justus, quum viderit ultionem, dicetq; omnis homo, utiq; est fructus justo, utiq; est Deus judex in terra. *Pij liberantur.*

CAPUT QUARTUM.

Argumentum.

Quia de judicio Dei justo dubitabant Iudæi, & prophetа sub finem capitis præcedentis promiserat, fore, ut viderent tandem, quid interesset inter pium & impium, nunc tempus quoddam primùm indicat, quo illud sit declarandum, *Summa.*

dum, videlicet, quando in excidio Jerosolymitano Deus impios omnes in urbem congregatos velut ramenta aut stipulam in clibanum congesta perdet, pios antea inde eductos servabit. Quæ omnia quia sunt juxta minas, & promissiones legi subjectas, ut & pij malum caveant, & impij ab eo desistant, legem Mosis inculcat, dum Christus ipse veniat, quem vel ex suo præcursore Johanne Baptista in spiritu Eliæ incedente observare poterunt.

1. Analysis popularis

Si quis rudi populo hæc explicet, potest non incommodè cum Domino Wigando has quatuor partes constituere I. de excidio Jerosolymitano v. 1. II. De Christo v. 2. 3. III. De lege v. 4. IV. de Johanne Baptista præcursore Christi, unde incipit novus, Evangelium de Christo, videlicet jam exhibito, prædicandi modus Marc. 1, 1. 2. ut sit hîc in primo & tertio speculum iræ, in secundo & quarto speculum gratiæ divinæ. Aliàs duæ hujus capitis possunt constitui partes; prior est superioris denunciationis de futuro evidenti piorum ac impiorum discrimine confirmatio, petita ex eventu ipso vastationis urbis & eversionis totalis Reipublicæ Judaicæ v. 1. cujus signum certum erit Christi in carnem adventus, ad quem pij suo bono confugient v. 2. & à quo improbi suo malo aufugient v. 3.

2. alia accuratior. Pars prior

posterior.

Posterior hortatio ut leges Dei sint memores v. 4. usq; ad prædicationem Evangelij, cujus primus præco erit Johannes Baptista v. 5. & effectus salutatis conversio v. 6. Confer Marc. 1, 1. 2. 4. 5. Matt. 3, v. 1. 2. Luc. 1. 16. 17. & 3, 3. Seu, si mavis, declarantur hic I. Dei malis inferendum judicium v. 1. II. Christi bonis conferendum beneficium, tum in sui curatione v. 2. tum in malorum conculcatione v. 3. III. Horum requisitum officium, quod est legis observatio v. 4. ministrorum

3. alia ἀνάλυσις partes tres
1.
2.
3.

Dei

Dei susceptio v. 5. & suæ salutis per conversionem procuratio v. 6.

PRIMA PARS.

Vers. 1.] Quandoquidem hîc, uti dictum est, habetur confirmatio superiorum prophetica, hinc adeò factum, ut multi hoc caput superioris fecerint particulam, quâ de re non admodum litigandum puto. Quia tamen in hebræis codicibus, aliisq; vetustis versionibus peculiare caput constituitur, sine gravi causa turbare illos calculos mihi erat religio. Ad rem ipsam: Vos quærebatis, ubi esset Deus judicij? c. 2, 17. Respondi vobis in superiore capite tertio, fore ut satis vobis innotescat, quando contra vos procedet in judicium, ex lege peccata arguendo, eaq;, nisi resipueritis, graviter puniendo, quod postquam factum fuerit, pij in suâ pietate confirmabuntur, & impij non amplius quærent, ubi sit Deus judicij, quia videbunt. Hoc autem usq; ad Christi adventum in carnem varijs judicijs tempore Maccabæorum potissimùm administratis Deus declarabit. Quoniam autem plericq; Judæi sunt corrigi nescij, severissimum restat, quod nunc subjicitur, videlicet πανολεθρία gentis & Politiæ Judaicæ. *Nam* ne clametis improbi, quando venit dies retributionis, de quo multa multi prophetæ, *ecce* certissimè *dies ille* judicij maximi *adveniet* adferens vobis incendia ac interitum, *ardens tanquam fornax*, *quo* (ut explicetur similitudinis ratio) *erunt omnes superbi* supra v. 15. & politicè alios præ se contemnentes, cristas erigentes, se efferentes, & Theologicè, suæ justitiæ meritisq; confidentes, & *omnis faciens iniquitatem*, tanquam (ita ⊃ ex præcedenti membro repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ judico, ut declaratur in

Cur hinc caput ordiamur.

Judicia Dei,

severissimum.

Particulæ ellipsis.

Psal. 3, 2.) *stipula*, velociter & totaliter absumendi, ut stipula coram magno igne. Vide Hobadj. v. 18. & *inflammabit eos* malos *dies ille venturus*,' *ait Jehova* Dominus *Exercituum*, & ita comburet, ut non supersit, qui possit sperare aut moliri reparationem, *adeò ut non derelinquat eis radicem aut ramum*, quomodo arbore radicitus evulsâ aut excisâ nulla est spes renascendi, quæ omnia in excidio Jerosolymitano contigisse testatur eventus & historiæ.

Non relinquitur radix aut ramus.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 1.

Deus differt pœnas

I. *Dies adveniet ardens ut fornax.*] Etsi Deus diu cessat inferre pœnas, quas comminatus est, ut homines illâ Dei longanimitate adducantur ad pœnitentiam, Roman. 2, v. 4. 2. Petr. 3, v. 9. tamen nisi conversi fuerint, tandem perduntur mali. Exempla sunt in antidiluvianis, quibus Deus prædicendum diluvium curavit 120. annos. Judæos quamdiu de captivitate Babylonica per prophetas, de vastatione inferenda a Tito per Christum & Apostolos præmonuit Deus? sed frustrà, donec opprimeret malum denunciatum incredulos.

Mundana sunt ut stipula:

II. *Quo erunt omnes superbi ut stipula.*] Deo omnis mundi gloria ac superbia est tantùm stipula, Iocl. 2, 5. inprimis autem hoc in ultimo die judicij apparebit, quando omnia exurentur. Vide 2. Pet. 3, v. 10, 11. 12. Ne igitur nimis illa amemus, aut isti confidamus.

Παιολεθρία politiæ Judaicæ.

III. *Ut non relinquat radicem aut ramum.*] Habetur hîc iterum insigne vaticinium de politia Iudaicâ sub initium Nov. Testam. prorsus delendâ, quemadmodum etiam eventus probavit, quantumvis multis zelo quodam non

non ex scientiâ conantibus urbem ac templum reædificare, tamen nihil potuisse profici. Quod etiam novis quibusdam prophetis meritò obvertimus, qui profectionem in terram sanctam, & reparationem Ierosolymorum novam suaviter somniant.

SECUNDA PARS.

Vers. 2.] Hæc mala (quæ scriptura hinc inde vocat tenebras. Vide saltem Ies. 5, v. 30. & 8, v. 22. & 9, 2 Matth. 8, 12.) vestrâ culpâ, ô mali & præfracti, sunt vobis eventura. Ut autem tum appareat, quid interfit inter justum & improbum c. 3, 18. audite vos pij, quæ bona, lux & prosperitas vos maneat. *Exorietur autem vobis*, in tenebris sedentibus illucescet Ies. 60, v. 1. *ô timentes nominis mei, sol* ipse *justitiæ*, non quidem radij aut strictura, verùm ipse totus hactenus adumbratus varijs figuris Vet. Test. in Novo humano generi se in carne contemplandum dabit, ut lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Iohan. 1, v. 9. Intelligit verò & promittit ipsum Christum, quem cum sole comparat cum ob alias, tum ob has sequentes causas. I. Ut solluce sua splendet, & reliquas stellas ac Lunam illuminat, quod demonstrant ex varijs astronomi: ita Christus Ecclesiæ, quæ quandoq; Lunæ nomine venit, & doctoribus Ecclesiæ, qui stellis conferuntur, omnem lucem impertit, uti declaratum est prolixiùs ex scriptura in Psal. 8, v. 5. pag. 192. 193. II. Ut sole exoriento omnia lætantur, quæ per noctem quasi tristitiæ nebulis immersa mœrebant, ut ille exclamat:

Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?

Ita etiam verum gaudium mundo est redditum per hunc

Tenebræ i. e. mala

Christus sol justitiæ

confertur cum sole

1.

2.

justitiæ solem terris datum Luc. 2, 10. III. Ut sol fugat tenebras; ita Christus non tantum omnes calamitates, sed etiam tenebras mentis & obscuratum intellectum per verbum suum illustrat Jes. 49. 6. & 52, 10. Eph. 5, 14. IV. Quemadmodum post solis exortum omnia parent, ita Christo exhibito, & in eo omnibus umbris completis, major lux in N. T. apparuit, quàm in Vet. Test. fuerat Rom. 13, 12. Jes. 11, 9. & 54, 13. V. Sicuti sol res omnes calefacit: ita Christus delictorum frigore corruptos spiritus ardore ad justitiam reficit, & cordibus ignem accendit Actor. 1. & 2. Luc. 24, v. 32. VI. ut sol maturos reddit fructus: ita Christus efficit velle ac perficere, Phil. 2, 13. ut ambulemus condigne Domino, ferentes fructus & crescentes in agnitione Dei Col. 1, v. 10. Joh. 15, 16. Et quis possit omnia beneficia vel solis vel hujus mirandæ prolis Jes. 9, 6. enumerare? Quædam in sequentibus noster propheta hîc explicat, quæ breviter videbimus.

Ejus beneficia.

Sunt autem hæc I. Justitiæ imputatio, siquidem est sol justitiæ Rom. 3, 25. II. Peccatorum remissio, quia est sol *cum curatione in alis ipsius*, veniens ut medicus Matth. 9, 12. qui animi morbos, hoc est, peccata tolleret, & jam ab illo morbo curatos protegeret Matth. 11, v. 28. Psal. 5, 12. & 91, v 1. 4. Matth. 23, 37. quemadmodum solem radij, ut alæ avem, circumdant, Christus autem sol justitiæ gratiâ plenus est, ut gratiam pro gratia inde capiamus Joh. 1, vers. 14. 16. 17. III. Renovatio, quæ similis est processioni. Non enim amplius morbis spiritualibus languidi aut decumbentes in uno loco hærebitis, sed *procedetis* in via Domini ambulantes jugiter Psal. 1. v. 1. IV. donorum incrementa, *& augescetis, ut vituli saginarij*, omnium rerum abundantes præ lætitia gesticetis, ut illi vituli.

Vers. 3.

Vers 3.] V. De hostibus omnibus spiritualibus victoria, à quibus non amplius, uti antehac factum, calcabimini, sed mutatione facta per ducem ac θρίαμβον vestrum Iesum Christum, qui vicit mundum Joh. 16, 33. *conculcabitis improbos* quemadmodum typus quidam Jos. 10, 24. monstrat. Josua enim voluit populi duces imponere pedes suos cervicibus captivorum regum, ut ita in futurum confirmarentur; sic Christus, qui certam hîc promittit victoriam 1. Corinth. 15, 57. 1 Joh. 5, 4. *Nam futuri sunt* omnes hostes vestri velut *cinis* & pulvis, hoc est, ut res vilissima Gen. 18, 27. *sub plantis pedum vestrorum*, non quidem vestra, sed meâ potentia, *eò die*, *quo* ego *effecturus sum*, quod promitto (quomodo impatientiæ & præcipitis carnis desiderio medetur) *ait Jehova*, Dominus *Exercituum*.

5. Christianorum victoriæ.

LOCI COMMUNES.

Ex versu 2.]

I. *Exorietur sol.*] Habetur hîc quoddam discrimen V. & N. T. nempe ratione perspicuitatis. Cum enim in V. erat adhuc quasi densa nox ac in plerisq; umbris semper quærendum erat ex alio, quid hoc vel illud notaret: In N. T. non amplius frater docet alterum eo modo, sed omnes sunt docti a Deo per sacras literas. Confer Exod. 12, 26. & 13, v. 8. Jerem 31, v. 31 &c. Hebr 8. 9. 10. 11. & 10, 16. Unde hoc diei, illud nocti comparatur Rom. 13, 12. 13. Sicut & Moses de nocte populum ex Ægypto eduxit, Christus autem summo mane una cum sole oriente ex mortuis resurrexit ac suos secum vivificavit.

Discrimen V. & N. T. ratione perspicuitatis.

II. *Vobis, ô timentes nominis mei.*] Christus omnibus quidem venit Luc. 2, 10. omnibusq; sua bona offert, verùm

Christus sua omnibus offert,

credentibus confert.

quia ita placuit Dei per fidem salvos facere, conceptam ex prædicatione Evangelij 1. Cor. 1 tantum solis confert credentibus, quæ causa etiam est, cur toties horum tantùm fiat mentio, quando nativitatis, passionis & resurrectionis Christi meritum & fructus explicatur, non quod non pertineant ad totum mundum, sed quod suâ culpa ac vitio plerique non fiant participes Matth. 1, 21. & 26, 28. Marc. 10, 45. Joh. 10, 15. & 11, 52. Actor. 20, 28. Roman. 8, 32. c. 11. 27. Ephes. 5, 23 25. Hebr. 2, 10. 13. 17. & 5, 9 & 9, 28. & 10, 14. & 13, 20. Dan. 12, 2. Rom. 5, 15. Matth. 20, 28. Iesa. 53, 14, 15. Sic igitur habe contra Calvinianos abutentes hisce dictis ad suam particularitatem, quod cum scriptura sit distinguendum inter bonorum illorum acquisitionem & applicationem. Illa, utpote Redemptio, est universalis, hæc actualis perfruitio vitio hominum redditur particularis, nempe justificatio & salvatio.

qui soli propterea quandoque nominantur.

Simile à Sole huc accommodatur.

Quò pertinet similitudo à sole h. l. defumpta. Ut enim aliquis ad solem lucentem potest claudere oculos, vel etiam de die dormire, ut non multùm ipsi profit hac vice solis splendor: Sic mali, & qui damnantur, oculos claudunt, ut videntes non videant Matth. 13, 13. 14 15. & dormiunt semper, noluntque ex somno vitiorum exsurgere, ut a Christo illuminentur Rom. 13, 11. Eph. 5, 11. 14. 1. Thes. 5, 4. 5. 6. 7. imò fugiunt hunc solem & lucem, quia opera eorum sunt mala Ioh. 3, 19 20, 21. Unde sequitur apud hunc nostrum prophetam, vobis, *ô timentes nominis mei*, exorietur sol justitiæ cum CURATIONE in alis ipsius: reliquis quidem oritur, sed non cum curatione, quia refugiunt medicum. Unde nova oritur similitudo hîc probè attendenda. Ut enim medicus aut medicamentum neglectum non sanat, quod tamen sanare potest, si adhibeatur debito modo: Sic etiam Chri-

sicut & à medico.

stus

ſſus animarum medicus Matth. 9, 12. omnes ad ſe vocat, ut reficiat & à morbis ac miſerijs liberet, verum à multis contemnitur, unde non eſt mirum, ſi non ſanentur, qui media à Deo ordinata negligunt.

III. Hæc ſunt Chriſti Salvatoris, quæ ſuis credentibus confert in hac vita, beneficia, (1) Iuſtitiam ſuam perfectam (2.) Sanitatem ſpiritualem Pſal. 103, 3. (3.) Cordis lætitiam veram Luc. 1, 47. Pſal. 4, 8. (4.) à mundo conſequendam victoriam 1. Ioh. 5, 4. Rom. 8, 37. *Beneficia Chriſti.*

Ex verſu 3.]

I. *Conculcabitis improbos*] Apoſtoli & miniſtri verbi victoriam de mundo reportant pro Chriſto 2. Cor. 10, 4 ſed etiam omnes pij in Chriſto Phil. 4, 13. 1. Cor. 15, 57. victores diaboli, mundi & carnis ſuæ evadunt Eph. 6, 14. 15. ſeqq. *Victores in Chriſto.*

II. *Quo die ego effecturus ſum*] Deus eſt, qui efficit & velle & perficere Phil. 2, v. 13 qui ſimulac dixit, facta ſunt Pſal. 33, 9. & 148, 5.

III. Iudæi & alij nonnulli hoc explicant de victoriâ terrenâ, quam tandem ſint reportaturi à gentibus. ut ita ſecure deinceps in terra ſancta habitent. Verum primùm de Chriſto ſalvatore mundi ejuſq; beneficijs agit, cujus regnum non eſt de hoc mundo Matt. 20, 25. 26. Luc. 22, 25. 26. Ioh. 18, 36. Deinde de illis hoc dicitur, qui ſunt timentes nominis Dei & ad ſolem juſtitiæ ſe verâ fide recipiunt. Quod cùm nolint facere Iudæi, quis illis hoc promittet, quod hic verè pijs pollicetur Dominus? *Iudæi abutuntur hiſce*

PARS TERTIA.

Verſ. 4.] Quandoquidem vero Deus adhuc illam ſuam promiſſionem aliquandiu differt, nullique deinceps prophetæ uſq; *Cur ad Moſen reducat.*

usq; ad Johannem baptistam existent, ad primum & præcipuum in V. T. prophetarum vos reduco, & moneo, ut interea legem Mosis omnem ac totam urgeatis, ut ita auditores tantò libentius ad Christum confugiant, & solem illum appetant, noctis ac umbrarum pertæsi, vel saltem illis territi. *Recordamini* & benè observate *legem Mosis* prophetæ maximi & *servi mei* fidelissimi Hebr. 3, 5. cui *præcepi ipsi in Chorebo*, quæ perferret in lege morali *ad totum Israelem*, & postea etiam *statuta* חֻקִּים leges ceremoniales, *ac jura* מִשְׁפָּטִים hoc est, leges forenses, quâ de re vide Chemnit. p. 2. L. C. de lege cap. 1. & 4.

תּוֹרַת חֻקִּים מִשְׁפָּטִים

Vers. 5.] Ne verò dubitetis, promissionem superiùs factam repeto, certè *Ecce ego missurus sum vobis*, supr. c. 3, 1. *Eliam prophetam* non quidem illum Thesbiten, quem vivum in cœlos transtuli Joh. 1, 21. sed Johannem Baptistam, in spiritu, zelo ac fervore ejus incedentem, Luc. 1, 17. qui est Elias ille venturus Matth. 17, 11. 12. 13. *antequam veniat dies Jehovæ maximus ac reverendus*, hoc est, Christi Jesu adventus in carnem, & officium propheticum ac regnum. Vide quæ dicta sunt cap. 3, 2. & præcipuè, quæ allata sunt in comparatione trium Eliarum annum abhinc septimum, ubi singularum vocum emphases etiam ponderatæ & explicatæ, ac simul Pontificijs, qui cum Judæis adhuc exspectant cœlitus reversurum Eliam Thesbiten, responsum est. Quod autem etiam ille prior Christi adventus improbis suâ culpâ sit terribilis, & non tantùm dies extremi judicij, de quo eadem vocabula usurpatur, Joel. 2, 31. in comparatione jam indicata ex Matth. 3, 10. 12. evictum esse speramus.

Johannes est Elias venturus.

De ultimo Christi adventu hîc non agitur.

Vers. 6.] Et quid multis? subjecta causa finalis, non quadrat, fide ultimo adventu interpreteris, quia in illo non amplius

amplius erit locus pœnitentiæ, sed præmio & pœnæ. Audi verò, tempore Christi nascentis multa erant inter Judæos schismata, multæ hæreses, ut ita multi seducerentur: Johannes igitur baptista Christi prodromus, & viam ante eum paraturus debuit venire, *ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipsorum*, quid ita? cur non potius ad Deum? Omnino id implicitè notatur, siquidem nulla vera est Concordia & amor erga proximum, nisi ubi fides in Deum in corde prælucet. Vide Luc. 1, 17. & Deus vult à cœtu unanimi laudari & coli Actor. 2, 1. & 4, 24. 32. Rom 15, 11. ex Psal. 117, 1. quum diabolus aliàs sub initium Evangelij & semper, quando id prædicatur, hoc egerit, ut discordem reddat hominem contra patrem suum, & filiam erga matrem, imò ut inimici cujusq; fidelis sint ipsius domestici Mich. 7, 6. Matth. 10, 34. 35. 36. Erat igitur hoc quam maximè necessarium, ut inter se conciliarentur, qui disidebant, prius, quàm ad sanctorum communionem admitterentur. Si qui verò planè nolint cum proximo & Deo conciliari Matth. 5, 24. & 18, 35. 2. Cor. 5, 20. suum tandem perferent supplicium. Ego autem, inquit Deus, nolens perire quemquam mitto Johannem, aliosq; verbi ministros, qui homines ad pacem cohortentur, *ne veniens* tandem in irâ, quando tempus gratiæ neglexerunt, *percutiam terram*, hoc est, terrena sapientes tantùm homines, *anathemate*, & malos malis exemplis perdens ex regno cœlorum excommunicem, ut Ecclesia reddatur purior. Zach. 14, 11. Quando enim misericordiam Dei oblatam, quæ dicitur רַחֲמִים, nolunt suscipere, sed tergum obvertunt, Deus commutat etiam illud nomen in חֲרָמִים, ut ita non tantùm misericors ac benignus pater, sed etiam justus judex agnoscatur, cui sit gloria &

Deus vult concordiã

Diabolus discordiã.

רַחֲמִים

חֲרָמִים

Cur ita concludat cum prophetæ autor,

nunc & in tempus sempiternum 2. Pet. 3, 18. Atq; ita nos, Deo gratijs, quas possumus, in hac infirmitate, actis, habituri in immortalitate, quas debemus, hanc commentationem in extremo prophetarum libro prædicatione non minus justitiæ, quam misericordiæ divinæ cum Malachia ipso concludimus, quum sciamus, fore, ut utraq; in extremo judicio quàm maximè eluceat, illa in reproborum condemnatione, hæc in piorum salvatione Matth. 25, 34. 41. 2. Thes. 1, v. 5 6. 7. 8, 9. 10. nil moti superstitione Judæorum, qui, ne tales clausulæ severiores aliquid mali ominis lectoribꝰ portendere videantur, aut animos legentium sub finem perturbatos relinquant (ut ipsi quidem sibi frustra persuadent) ex præcedentibus non multò ante versibus solent aliquem sine punctis subjicere, quemadmodum apparet in bibliis hebræis sub finem *Ecclesiastæ*, *Threnorum*, *Esaiæ*, & *hujus Malachiæ*, quem versu penultimo, quàm hoc ultimo melius concludi arbitrantur, qui, cur non idem etiam faciant in Hoseæ clausulâ, meritò rogantur. Verum hac in parte meritò usurpes illud Salvatoris Matth. 15, 14. Ἄφετε αὐτούς. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. Nos potius rogemus his miseris temporibus Deum triunum: *Deus restitue nos fac ut luceat facies tua, ita salvabimur*, quod non sine causa ter in uno Psalmo 80. v. 4. 8. & 20. repetitum reperimus.

cum aliud videatur Judæis.

Votum insigne.

LOCI COMMUNES

Ex versu 4.

Lex repetenda.

I. *Recordamini legis.*] Pij etsi non prorsus abjiciunt, tamen sæpius legis pedetentim, nisi repetatur identidem, obliviscuntur, unde Jehova mandavit, ut pij suis filiis legem inculcent Deut. 6, 7. Sic Paulus monet Timotheum, ut in-

ste

stet tempestivè & intempestivè 2. Tim. 4, 2. Etiam hoc notati potest, quando dicitur, Recordamini legis Mosis, quod non sit speranda generalis Concilio decisio, sed respiciēnda Mosis ac reliquorum prophetarum visio. *Moses audiendus.*

II. *Cui præcepi.*] Deus ipse est causa efficiens legis, quod servit ad institutionem, ut tantò accuratius hujus summi monarchæ mandatis obediamus; & ad refutationem Antinomorum, qui legem prorsus rejiciunt. *Deus est autor legu.*

III. Quando hic ultimus propheta ita concludit ex Dei præscripto, *Recordamini legis Mosis*, hic Canon V. T. concluditur, & Mosen & prophetas audire jubemur Joh. 5, 39. Luc. 16, 29. Quemadmodum N. T. Canon in Apocalypsi habetur Apoc. 22, 18. 19. *Canon.*

Ex versu 5.]

Ego mitto vobis Eliam, antequam veniat dies.] Quæ ex hoc versu indicari poterant, supra c. 3. 1. sunt allata, præter illud, quod tamen sæpè jam explicatum, nempe Deum prius monere, deinde, si non sequatur conversio, punire, Vide Psal. 7, 13. 14. Non enim facit Dominus Jehovi quicquam, nisi revelaverit secretum suum servis prophetis, Amos 3, 7. Vide Joel. 2, 1. *Deus monet, punit.*

Ex versu 6.]

I. *Ut convertat cor patrum.*] Finis ministerij divini per se & ex intentione Dei est hominum conversio & pacis restitutio, Jes 52, 7. Nah. 1, 15. Roman. 10, 15. at per accidens & hominum vitio ac malitia longè aliter evenit, Mich. 7, v. 6. Matth. 10, 34. 35. Exempla sunt in actis Apostolicis plurima, ubi Evangelio obedientes convertuntur, reliqui magis indurantur c. 13. 16. 17. 18. 28. *Evangelium docet pacem.*

Concordia.

II. *Ad filios & filiorum ad patres.*] Concordia Deo maximè probatur, quia vult ut ipsi humero uno serviamus, Soph. 3, 9. & schismata vitemus 1. Cor. 1, 10. seqq. Ipse amor est, & nobis, ut invicem nos amemus, præcipit, Psal. 133, 1. Quod argumentum prior Johannis Epistola tractat prolixiùs.

Mali fiunt anathemata.

III. *Ne veniens percutiam terram anathemate.*] Deus semper curat per fideles verbi ministros homines de impendentibus malis præmonendos: Verùm multi nolunt erubescere aut se corrigere Soph. 3, 5. Sed hæc omnia scandala tandem in extremo judicio removebit Matth. 13, 41. 49. & qui nolebant se reliquis piis adjungere, faciet anathemata 1. Cor 16, 22. quando dicet, Ite maledicti Matth. 25, 41.

Votum.

Nos vero cum psalte regio concludamus: Serva nos, Iehova, Deus noster, & congrega nos ex istis pravis gentibus ad celebrandum nomen sanctum tuum, cùm, in hac, tùm in alterâ vitâ: Benedictus Iehova Deus Israelis, inde a seculo usq; ad seculum, & dicat totus populus: Amen, Hallelu-ja, Psal. 106, 47. 48.

Nunc librum exegi, Iovâ auxiliante, sed istic
Quæ mala sunt, mea sunt: Quæ bona, cuncta Dei.

Haggæi cap. 1, v. 13.

וַיֹּאמֶר מַלְאַךְ יְהוָה בְּמַלְאֲכוּת יְהוָה לָעָם לֵאמֹר
אֲנִי אִתְּכֶם נְאֻם־יְהוָה׃

I. INDEX.

Autorum, qui in hoc Commentario citantur.

Aquila 78
Balduinus 29
Bellarminus 29
Buchananus 80
Buxtorfius 37. 77. 85
Chaldæus paraphraſtes 40. 51. 70
Chemnitius 29. 71. 96
Claudianus 85
Cyrillus 4
Franzius 28. 56
Gellius 86
Geſnerus 56
Heſiodus 10
Hieronymus 4. 44
Homerus 28
Horatius 77. 80
Interpretes græci 44. 78. 79
Junius 15. 22. 40. 41. 44
Kimchi 40. 52. 70
Lutherus 15. 22. 31. 36. 37. 38. 39. 40. 42. 44. 52. 56. 78. 79. 82.
Melanchthon 19
Origenes 4
Ovidius 75. 86
Polanus 6
Ribera 4. 22. 69. 78
Seneca 86
Symmachus 78
Theodotion 78
Theognis 86
Terentius 51
Tremellius 67
Vatablus 70
Virgilius 53. 56
Wigandus 8. 63. 88

II. INDEX

Vocum Hebræarum, quarum Etymologiæ, Emphases, propriæ significationes & differentiæ hîc declarantur.

אַרְנִים	21	יָחַל	56
אָכַל	22	יָרֵא	41
אֵל	10	כֹּהֵן	5
אֲנָקָה	53	כּוֹל, כִּלְכֵּל	69
בָּנַי	50	לא pro הֲלֹא	55
בְּנֵי	11	לֵחֶם	22
בֵּין sequente ל	85	לִפְנֵי	66
בֵּת	83	מָאַס	16
בָּעַל	51	מְנוּחָה	29
בְּקֵשׁ in malam partem acceptum	67.	מֵעַל	14
בִּירִית	70	מִפְּנֵי	40
גָּעַר בְּ sine	38	מַשָּׂא	10
הָאָרוֹן i. e. Christus	67	מִשְׁפָּטִים	96
חֲרִיק	79	נָבִיא	5
ו i. e. qui	66	נִרְבַּר	82
זָבַח	29	נִחַת	41
זָרוֹן	84	נָשָׂא פָּנִים	44
חַג i. e. victima	39	מְגִלָּה	84
חֵפֶץ, חָפֵץ	68	סֵפֶר	5
חֻקִּים	95	עוֹלָם	17. Non notat simpliciter æternitatem
חַיִּים	97	עַל	10
חָשַׁב שָׁם	84	פְּנֵה	66
קָבַע			

16	שָׁוְא 78	קָבַר
96	תּוֹרָה 97	רַחַם
78	תְּרוּמָה 57	שָׁלַח

Et Græcarum.

Ἀεὶ	22	Οὐ pro οὐχὶ	56
Ἔχειν	51	Στέλλεσθαι	41
Μισεῖν	16	Τεσσαφορεῖν	58
Μὴ pro μητὲ	56	Χωρεῖν	69

III. INDEX

Rerum & Verborum Memorabilium.

Abstractum pro concreto 42
Accipiunt quidam doctores personas 44
Adam omnium pater 49
Adulteri 72
Affectuum verba apud Hebræos notant effectum 12
Alios ne contristemus 59
Ambulare in æquitate 42
atratè 83
Analysis generalis libri hujus 7
specialis cap. I. 8. 9. 10
cap. II. 34. 35
cap. III. 63. 64. 65
cap. IV. 88. 89
Aposiopesis 12
Apostrophe 36
Argumentum cap. I. 8
cap. II. 33
cap. III. 63
cap. IV. 87
Avaritia 46
Aversi à Deo 77
Autoritatis imminutio 43
Autoritas vera, & malè quæsito 48
Beati 80. 22
Benoni pro paulò post futuro 65
Blasphemia Judæorum 61

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729967158/phys_0107
DFG

Bona externa à Deo dantur liberrimè 19
Bonis in hac vita malè 16. 85. 86
de hoc diversum judicium 62

Calvinianorum errores 15. 27. 94
Canon V. T. 99
Capere 69
Cataractæ cœlorum à Deo apertæ & clausæ 79
Cavere spiritui suo 54
Christus adventus terribilis 75
beneficia 92. 95
præcursor est Iohannes baptista 63. 65. 74
Christus amat templum 74
facies patris hîc non dicitur 66
loquitur Malach. 3, 1. 66
quæritur ut angelus fœderis 74
sol justitiæ 91
sua omnibus offert, solis credentibus confert 93. 94
Christus confertur cum aurifabro & fullone 70
medico 94. 95
solo 91. 92
Christianorum victoria 98
Concionatores mali quomodo tractandi 45
Conclusio hujus prophetiæ 98
Concordia 59. 97. 100
Conjugium est fœdus Dei 53 54. 60
Conjugij violati pœna 59
Connubia cum gentibus prohibita Iudæis 50
Contentio Rhetorica 12
Credentes cur SOLI nominentur sæpe, ubi meriti Christi fit mentio 94
Decimæ solvendæ 63
in N. T. 81
Dei benevolentia 81
judicia 89
longanimitas 77
minæ conditionales 45
opera celebranda 20
potentia 10
verbum cordi indendum 45
Deo nil præferendum 26. 27
obloqui 85
Deum adesse cogitemus 33
Deus benedicit segeti 80. 82
concordiam vult 97
differt pœnas 90
est

est autor legis 99
est colendus ut pater & Dominus 24. 25
est pater credentium & omnium hominum 24
est testis & judex 72. 76.
est verax 20
maledicit malorum benedictionibus 37
monet 99
multa fert, quæ non punit 61
multos habet cultores 28
non audit peccatores 27
non est spoliandus 78
non mutat nec mutatur 73. 77
non probat malos 62
nullum odit absolutè 18
promisit bona piis 40
Diabolus excitat discordiam 97
Discrimen piorum & impiorum 87
V. & N. Testamenti 92
Ecclesiastici ordinis dignitas 46
Edomæa inculta regio 13
Edomæi non recuperant sua non redeunt ex exilio 14
de Electione æternâ Malach. 1. non agitur 15. 16
Ellipsis 89
Ἐπιφάνεια Christo tribuitur 70
Esavi posteri servierunt posteris Jacobi 17
Esdras non est Malachias 4. 5
Evangelij universalis prædicatio 32
Evangelistæ non omnia verba citant ex dictis V. T. 66
Evangelium docet pacem 99
Felicitas temporalis non est electionis ad vitam æternam τεκμήριον 16
Figura rei figuratæ tribuitur 71
Filia Dei alieni 51
Fimus festorum 38
Fœdus Dei cum tribu Levi 39
Fraudes 33
Genes. 25, 23. explicatur 16
Gentium vocatio 29
Gloria Dei 33
Græca versio, quæ 70. esse putatur, non allegatur ubiq; in N. T. 66
Homines omnes ab uno Deo creati, ab uno Adamo propagati 58

Hypocrisis 32. 33
Hypocritæ sua extollunt 39
Hypocritarum ingenium 25. 30
Hypocritas Deus non amat nec audit 23
Jacob Esavo quomodo prælatus 13
Impij seriò sapiunt 85
Impiorum munera Deo non placent 32. 46. 75
Ingratitudo hominum 18
Iniquitas nulla in labiis Levitarum 41
Inobedientes Deus punit 81
Interrogatio Rhetorica 21. 23
Invocatio 32
Job. 13, 15. *explicatur* 56
Johannes Baptista est Elias venturus 96
Ironia sancta 23. 57
Israelitæ diu sine propheta 3
sunt Dei filij ac servi 20
Israelitis reducibus hæc dicuntur 11
Judæi ad Christum & Johannem ablegantur 63
Judæi ex captivitate reducti 13
Judæorum error 95
excusatio 78
superstitio quædam 98
Judicia Dei 89
Judic. 7, 17. 48
Levi notat totam tribum 39
Levit. 22, 22. 26
Lex docenda 11
repetenda 96. 99
Libellum repudij cur Deus permiserit 56. 57
Liberi semen Dei 60
in V. T. valdè cari 83
Libri Dei 84. 86. 87.
Magnificat se Jehova 15
Maledictus, qui Deo illudit 32
Mali cur non perditi? 73
fiunt tandem anathemata 100
Malis benè in hac vita 19. 85 86
de hoc diversum judicium 62
Malachias propheta N. T. ultimus 3
quando vixerit 3. 4
quis fuerit 4. 5
quibus prædicaverit 5. 6
quâ occasione & fine 6
Malachiæ liber authenticus 5
Medico confertur Christus 94. 95
Mensa Jehovæ contemtibilis 30

Merce-

Mercedem detinentes 72
Minæ legales audiendæ 11
Dei conditionales 45
Ministri verbi angeli Dei 47
Clament 47
discant ibid.
errare possunt ibid.
faciunt officium 25. 36
legati Dei 42. 47.
quomodo tractandi 45
stipendia possunt accipere 31
typi fidelium 48
Ministrorum verbi instructio 42. 48
quorundam malitia 43
Ministros verbi Deus dat 12. 47
Moses audiendus 99
Mundana sunt ut stipula 90
Mysterium Trinitatis in V. T. adumbratum 21. 57. 100
Non pro nonne 56
Oblatio polluta 25. 26
Oculi vident 14
Odisse i. e. postponere 16
Offertur Deo cæcum, claudũ 22
Omnia ruunt in pejus 80
Onus cur appelletur hæc prophetia 10
Pallium nequitiæ 61
Παιολεθρία politiæ Judaicæ 90. 91
Parentes sunt honorandi 24
Partes hujus libri 6. 7.
Particulæ ellipsis 89
Paulus quomodo alleget exemplum Iacobi & Esaiæ Roman. 9. 17. 18
Peccata quædam grandia hodie non curantur 76
Peccatores Deus non exaudit 27
Peccatum idem sæpius taxandum 32
Penuria 46
Perjuri 72
Personæ miserabiles quænam? 72
Phrasi V. T. res N. T. declarantur 28. 71
Piorum voces 84
Pij liberantur 87
Pleonasmus emphaticus 77
Pœna peccati est onus 11
Pœna denunciantur 23
Pollutio mensæ Iehovæ 22
Pollutio summa 26
Polygamia simultanea reprehenditur 53

est à Deo tolerata 54. 56 57. 58. 60
Ponere in corde 37
Pontificiorum quidam error 96
Præmia pietatis 46. 86
Præstigiatores 72
Probare Deum 83
Prolegomena 4. 5
Prosopolepsia 48
Puritas in doctrina & vita 75
Radix aut ramus non relinquitur 90
1. Reg. 8, 27. explicatur 69
Religionis in conjugiis contrahendis habenda ratio 59
de Reprobatione Mal. 1. non agitur 15. 16
Resipiscentiæ fructus 81
Roman. 9, 13. explicatur 17
Sacerdotes peccantes maximè reprehenduntur à Deo 21. 36
mali non litant 28
Sacerdotibus concessa præmia 27
Sacerdotum incuria 34
Sacrificia improborum Deo ingrata 47. 75
piorum grata 75
Sacrificium Missæ Mal. 1. non stabilitur 29
Soli confertur Christus 91. 92. 94.
Stipendia danda ministris verbi 31. 81
Successus rerum à Deo 19. 20
Summa libri hujus 5
Superbia 89
Tenebræ i. e. mala 91
Θεομάχοι 19
Timor Domini 76
Verba contra Deum invalent 82
Versionis vulgatæ error 38
Via Christo expedienda 74
Viæ Dei ignotæ nota 19
Victima pura impura 26
Victimæ N. T. 29
Victores in Christo 95
Vigilans & responsans 52
Vota sunt solvenda 33
Vos, synecdochicè sumitur 68.

FINIS.

Es. 34, v. 16.

דִּרְשׁוּ מִעַל־סֵפֶר יְהוָה וּקְרָאוּ אַחַת מֵהֵנָּה לֹא נֶעְדָּרָה אִשָּׁה
רֵעוּתָהּ לֹא פָקָדוּ כִּי־פִי הוּא צִוָּה וְרוּחוֹ הוּא קִבְּצָן׃



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729967158/phys_0116
DFG

(quomodo quod in genere dicitur, sine
erisq; interpretibus coarctatur, quo-
nes in hac explicatione includuntur,
ur; siquidem in statu Ecclesiastico co- Corona
ci fuit, præsentia Dei gratiosa & mi- populi
lle Dei variis ceremoniis ac ritibus à Iudaici.
ac ornatus, item templum sumptuo-
pulcerrimum. In statu politico re-
oronam seu regni diadema denotatur
bron. 20, 2. Psal. 21, 14 Jerem. 13, 18.
co omnis ornatus gloriosus gaudium &
oquidem veteres in nuptiis & convi-
onis sertisq; fragrantibus, quæ omnia
nus felicem præ omnibus gentibus in
onabant, quibus omnibus jam privati
vi) ergo væ nunc nobis, quia pec-
ipsos flagitiis nostris indignos tâm no-
mus? Sicut enim virgo, ubi de virgi-
fugium, coronam amplius gestare non
e hat das Kräntzlein verlohren: sic
sa idololatriâ & spirituali adulterio
nâ suâ privata est, omniq; decore, quo
at.
a hîc observes licet רֹאשֵׁנוּ לָנוּ חָמָאנוּ.
abulum ita pro quovis ornatu glorioso Corona.
le Job. 19, 9. Prov. 4, 9. & 12, 4. & 14,
62, 3. Ezech. 16, 12. 1. Corinth. 11, 7.
2, 19.
ornat homines Dei timor, mox amit-
, & si quis non in semitis domini va- Decor pe-
dit, rit.